APOLOGIA
PRO VERITATE
CONSTITUTIONIS
S. D. N. D.
INNOCENTII
PAPÆ X.

Adverſus noviſſimas Obtrectatorum calumnias.

Sive conſenſus damnatarum Quinquè Propoſitionum cum Doctrina Janſenii Iprenſis Epiſcopi, & Hæreticorum : ac diſſenſus à SS. Scripturis, Conciliis, Patribus, præſertim à Divo Auguſtino.

Unà cum recenſione aliarum Janſenii Opinionum, & Effugiorum Novo-antiquorum.

Authore R. P. LUDOVICO DE MARCHE, *Leodienſi, Societatis* JESU.

Adjecimus Noviſſimum Summi Pontificis Decretum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

IHS

LEODII,
Typis JOANNIS MATHIÆ HOVII, M. DC. LV.

Superiorum permiſſu.

35-2-A-B
op. 2

REVERENDO ADMODUM

DOMINO,

D. IOANNI

LINTERMANS,

INSIGNIS

ECCLESIÆ COLLEGIATÆ

S. IOANNIS EVANGELISTÆ

DECANO

MERITISSIMO,

ET

CANONICO IUBILARIO;

NUPER ETIAM

MARIANÆ SODALITATIS

PRÆFECTO

LONGE DIGNISSIMO:

ITEMQUE ALIIS OMNIBUS

REVERENDIS ADMODUM

DOMINIS,

DD. SODALIBVS

B. VIRGINIS

ANNVNTIATÆ,

IN COLLEGIO

SOCIETATIS JESU,

ex

ILLUSTRISSIMO, REVERENDISSIMO,

AC

NOBILISSSIMO,

CLERO

LEODIENSIS ECCLESIÆ;

QVÆ

QUÆ JAM INDE

A

D. HVBERTO,

ALTERO EJUS PARENTE,

CONSTANS

IN AVITA FIDE,

SANCTÆ ROMANÆ

ECCLESIÆ FILIA

JURE PRÆCIPUO NOMINATUR;

HANC PRO TUENDA

ROMANÆ SEDIS

AUTHORITATE

APOLOGIAM,

IN OBSERVANTIÆ SUÆ

AUTHORAMENTUM,

O. D. Q.

Servus in Chriſto ſubmiſſiſſimus

LUDOVICUS DE MARCHE,
è Societate JESU,
Ejuſd. Sodal. Direct.

AD BENEVOLUM
LECTOREM.

SCRIPTIONIS OCCASIO, ET PARTITIO.

VIX Coloniæ evulgata erat Apoſtolica S. D. N. Conſtitutio, cùm vicinis in locis neſcio qui homines in illâ multa prorſus abſurda effutire cœperunt. Id vir eximius, cùm fidei integritate, tùm virtutum omniũ laude conſpicuus, meritò conqueſtus; facilè pagellas à me aliquot impetravit, tot diſtinctas Paragraphis, quot ſatis eſſe ipſi videbantur, ut Apoſtolica Conſtitutio (quâ vix accuratior exſtat in Bullario) à calumniis hominum minimè religioſorum vindicaretur. Cùm enim paſſim crimi-

criminarētur multi, verba damnatarum Propoſitionum immeritò affingi Ianſenio: nonnulli, damnari hæreſeos non potuiſſe; quòd neque SS. Scripturis, neque Conciliis adverſarentur: alii denique plurimi, continere ipſam non Ianſenii magis quàm D. Auguſtini ſententiam. Proinde viſum eſt ſingulas Propoſitiones ſic eſſe diſtinguendas.

Primùm, ut proferrentur ipſiſsima Ianſenii verba, *quæ Pontifex unâ Propoſitione complexus hæreſeos damnavit. Quâ item ratione Tridentini Patres diffuſa pluribus in locis Lutheri & Calvini verba (unà etiam ex illis*

Propoſitione conflatâ) anathemate percuſſerunt.

Deinde, ut Ianſenii cum germana hæreticorū ætatis hujus doctrina committeretur.

Tum, ut adductis teſtimoniis demonſtraretur ex ordine, diſſenſus Ianſeniſticæ Doctrinæ à divinis Scripturis; à ſacris Conciliis, nominatim Tridentino, *contra novitias hæreſes coacto*; ac poſtremò, à SS. Patribus, maximè autem à D. Auguſtino, *quèm Ianſenius (licèt adverſantem) ſui ubique*

erroris

erroris Patronum, (bonáne, an malâ fide?) venditare ſolet.

Ergo pagellas ejuſmodi feſtinatò deſcriptas Amico illi tradideram, & ille aliis deinceps; à quibus longiùs, quàm ſuſpicarer, prolatæ videntur: ubi & prælo haud emendatè ſatis excuſæ. Ea propter, ac veritus ne fortaſſe mendoſiùs recuderentur; ceſsi eorum conſilio, qui typis noſtratibus cenſuerunt edendas, plus quàm altero tanto auctiores, unà cum Appendice: cujus parte priore recenſentur aliæ Ianſenii opiniones inſolentiores; poſteriore, Ianſenianorum (an Baianorum?)

effugia præcluduntur.

Et verò id feci eò libentiùs, quòd Sereniſsimus MAXIMILIANUS HENRICUS *Archiepiſcopus Colonienſis, Sacri Rom. Imperii Elector, &c. idemq́ Leodienſis Epiſcopus ac Princeps noſter, pro Avita in Apoſtolicam Sedem obſervantia, dictam S. D. N. Conſtitutionem ſuas per Diœceſes ritè promulgandam præſcripſit. Hæc inter cætera Mandans* Omnibus & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis urbanis & ruralibus, item Prioribus, & quibuſcumque Superioribus Regularibus & Con-

Congregationibus: Parochis quoque, Vice-parochis, & Concionatoribus, ut ſuis ſubditis & auditoribus has Quinque Propoſitiones Hæreticas & reſpectivè impias, blaſphemas, Divinæ pietati derogantes declaratas & damnatas promulgent; illos pariter ad earum deteſtationem excitent: ipſarum verò defenſores, tanquam HÆRETICOS, ET HOSTES ORTHODOXÆ FIDEI, VELUT À GREMIO MATRIS ECCLESIÆ DEPULSOS ET ALIENOS VITENT: ſeriò

riò hortantes, ut nullos infectos his opinionibus à Sede Apoſtolica damnatis, in gremio ſuo, ac multò minus ad ullos gradus privilegiaque admittãt, *&c.*

Hæc te, Lector benevole, volebam non neſcire: ut ſemper rectè ſaperes; memor illius, quod D. Auguſtinus (Tract. 2. in Ioannem) veriſſimè ſcripſit: Quantùm quiſque amat Eccleſiam, tantùm habet & Spiritum Sanctum.

Vale, Leodii, 4. Idus Novembris, Anno à partu Virginis, M. DC. LIII.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS,

AC

D. N. D. INNOCENTII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ X.

CONSTITUTIO,

Qua declarantur & definiuntur Quinque Propoſitiones in materia Fidei.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Univerſis Chriſti fidelibus Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM occaſione Impreſſionis libri, cui titulus, Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controverſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud Nos inſtiterunt, uti eaſdem Propoſitiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam & perſpicuam ferremus ſententiam.

Tenor verò præfatarum Propoſitionum eſt prout ſequitur.

Prima: Aliqua Dei præcepta Hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant.

Secunda: Interiori Gratiæ in ſtatu Naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Tertia: Ad merendum & demerendum in ſtatu Naturæ lapſæ non requiritur in Homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à Coactione.

Quarta:

Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus; etiam ad initium fidei; & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet Humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò Hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

NOS, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſsiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, ut Eccleſia Dei Nobis ex Alto commiſſa, purgatis pravarum Opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam Navis in tranquillo Mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecurè navigare, & ad optatum ſalutis Portum pervenire poſsit.

Pro rei gravitate, coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpiùs congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eaſdem Quinque Propoſitiones, uti ſupra Nobis oblatas, fecimus ſingillatim diligenter examinari, eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata maturè conſideravimus, eoſdemque Magiſtros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes audivimus.

Cùm autem ab initio hujuſcemodi diſcuſsionis ad Divinum implorandum Auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tùm privatim, tùm publicè indixiſſemus, poſtmodùm iteratis eiſdem ferventiùs, ac per Nos ſollicitè imploratâ S. Spiritus Aſsiſtentiâ, tandem Divino Numine favente, ad infraſcriptam devenimus Declarationem & Definitionem.

Primam prædictarum Propoſitionum : *Aliqua Dei præcepta Hominibus Iuſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent Vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant*: Temerariam, Impiam, Blaſphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam : *Interiori Gratiæ in ſtatu Naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur* : Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam : *Ad merendum & demerendum in ſtatu Naturæ lapſæ non requiritur in Homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à Coactione*: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam : *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare* : Falſam & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam : *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe*: Falſam, Temerariam, Scandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus prò ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit: Impiam, Blaſphemam, Contumelioſam, Divinæ Pietati Derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

MANDAMUS igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra Declaratione, & Definitione continetur, ſub cenſuris & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. PRÆ-

PRÆCIPIMUS pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut Contradictores & Rebelles quoſcumque, per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio Brachii Sæcularis, omnino coerceant & compeſcant.

NON INTENDENTES tamen per hanc Declarationem & Definitionem ſuper prædictis Quinque Propoſitionibus factam, approbare ullatenùs alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LIII. pridie Kal. Junii, Pontificatus Noſtri anno nono.

Hi. Datarius.

G. GVALTERIVS. P. CIAMPINVS.

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI *Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, Indictione ſexta, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, &* D. N. D. INNOCENTII *Divina Providentia Papa X. Anno ejus Nono, die verò nona menſis Iunii, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit, in Eccleſia Lateran. ac Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ per me Hieronymum Maſcellam SS. D. N. Papa Curſorem.*

Pro D. MAG. Curſorum P. PAULUS DESIDERIUS Curſor.

Juxta Exemplar Romæ, Ex Typographia Rever. Cameræ Apoſt. 1653.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTH. ...

APO-

APOLOGIA PRO VERITATE CONSTITUTIONIS INNOCENTII PAPÆ X.

Qua declarantur & definiuntur quinque Propoſitiones in materia Fidei.

PRIMA PROPOSITIO.

§. I.

Primæ Propoſitionis Ianſenianæ Pontificia condemnatio.

„PRimam Propoſitionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia quâ poſſibilia fiant*: temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

§. II.

Conſenſus Janſenianæ doctrinæ cum prima Propoſitione damnata.

Qui Janſenium vel omninò non legerunt, vel alienis tantùm oculis, vix perſuaderi poſſunt hanc Propoſitionem totidem verbis apud eundem contineri: quem tamen ſcrupulum facilè omnibus eximent, quæ ſubjicio germana Janſenii verba.

1. In ipſo capitis titulo, id ſibi probandum proponit: *Eſſe quandam voluntatis infirmitatem, quæ non poteſt certas tentationes ſuperare, nec adeſt gratia, quâ ſuperentur, nec ſpiritus orationis, quo vires impetrentur.* Tom.3. de Gratia Chriſti Salvat. lib. 3. cap. 13. col. 324. editionis primæ Lovanienſis, typis Jacobi Zegeri, anni 1640. quam editionem (utpote Janſenianis probatiſſimam) deinceps ſequemur.

2. Id ubi probaſſe viſus eſt ſibi, hæc

conſectaria colligit: *Primum quidem, eſſe quædam homini præcepta, ſecundùm ſtatum & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoßibilia.* Ibid. columna 325. ante finem.

3. *Secundum, non adeſſe ſemper gratiam, quâ poſſumus, hoc eſt, quâ illa eadem præcepta implere ſufficiamus.* Ibid. in fine.

4. *Tertium, hanc impotentiam reperiri non ſolùm in excæcatis & obduratis, & infidelibus, de quibus numquam vel Auguſtinus, vel Eccleſia; ſed ſolùm Scholaſtici nonnulli ex humanis rationibus, dubitarunt, ſed etiam fideles & iuſti, qui & fidem Chriſti, & charitatem iuſtitiæ ſuſceperunt.* Ibid. colum. 326. initio. Germanam authoris ſyntaxim calamo emendaſſem, niſi ſpongiâ egeret.

5. *Quartum, hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt.* Ibid. ante med.

6. Hæc ipſa quatuor eodem capite ſub finem inculcat his verbis: *Hæc*

igitur omnia pleniſſimè planiſſiméque demonſtrant, nihil eſſe in ſancti Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque & iuſtis, volentibus, conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam, quâ fiant poßibilia: hoc enim S. Petri exemplo, aliíſque multis quotidie manifeſtum eſſe, qui tentantur ultra quàm poſſint ſuſtinere. colum. 334. ante med.

7. Denique ſaddit: *Quintum ex eodem principio conſectaneum eſt, plurimis non dari iſtam faciendi præcepti poßibilitatem, quæ precibus implorari ſolet*, &c. Ibid. col. 335. initio. Videri etiam poteſt Tom. 1. lib. 4. cap. 16. col. 218. extrem.

Ex his conſtat manifeſtè, primam hanc Propoſitionem à Pontifice damnatam, eſſe omninò Janſenii. Ut proinde quidam Doctor Janſenianorum nomine (ut gloriatur) ad orbem Univerſum Gallicè ſcribens, libro *De gratia victrice*,

aſſerat pag. 22. *Nullam ex illis quinque Propoſitionibus, exceptâ primâ, eo modo quo ſunt conceptæ, apud Ianſenium reperiri.* De hac prima igitur habemus Adverſarii confeſſionem; de aliis item Propoſitionibus facilè poſteà exprimemus.

§. III.

Conſenſus Hæreticorum cum doctrina Ianſenii.

1. LUTHERUS, in Confutatione Rationis latomian. *Tot Scripturæ teſtimonia probant mandatum eſſe impoßibile nobis, ut nihil ſit manifeſtius.*

2. CALVINUS lib. 2. Inſtitut. cap. 7. *Sit extra controverſiam, impoßibile eſſe, in hac carne, legis implementum.*

3. Contra-Remonſtrantes Artic. 53. in Specimine Amſtelrod.... *Deus ab omnibus hominibus..... exigit ſervitium & obedientiam; ſed poteſtatem obediendi non vult omnibus dare: exigit fidem ab omnibus, quibus verbum annuntiatur; ſed non vult omnibus ipſis dare fidem.*

4. JOANNES MOUHEMIUS Dialogo 3. *Nemo quantumvis perfectus, præſtare poteſt quod lex iubet.*

5. Idē docet MELANCTHON, in cap. 4. ad Roman. Edit. 1. Et in Apologia titul. De Votis Monaſticis.

6. CHAMIERUS Tom. 3. lib. 3. cap. 5. num. 1. & 2. ubi argumentum de poſſibilitate præceptorum DEI, vocat; *Quartum Papiſtarum argumentum*: moxque ſubjicit eidem argumento tripliciter à Calvino fuiſſe reſponſum.

7. ZANCHIUS Tract. Theologic. lib. 1. cap. 6. Theſi 9. pag. 113. *Eadem reſponſio ad omnia præcepta afferenda: ex his ſcilicet non ſequi, nos poſſe hæc præſtare; ſed tantùm doceri, quid facere debeamus*, &c. ad mentem planè Janſenii.

8. PETRUS DU MOULIN, Boudlier de la foy, artic. 9. omnino eadem compendio repetit.

9. CHEMNITIUS, in Examine Tridentini, ad ſeſſ. 6. can. 4. & 5. *Non ſunt fruſtra* (præcepta) *etſi nihil poſſit liberum arbitrium, ſine gratia neceſſitante, quam ſoli electi habent.* Item ibid.

cap. 11.

cap. 11. & can. 18. tota quæſt. 3. Ut hinc conſtet, Janſenium ſtabiliendo ſuo illo dogmati (nimirum, *Etſi præcepta Dei ſint impoſſibilia, ea tamen non eſſe fruſtra*) quod tam operosè conatur facere Tom. 3. lib. 3. cap. 17. col. 352. & ſeqq. 353. 354. & 356. iiſdem ferè teſtimoniis & rationibus uti, quibus tum Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 5. §. 4. & ſeqq. tum citati modò hæretici.

10. SAMUEL MARESIUS, in *Synopſi de vera & Catholica doctrina*, cap. 3. edit. Anni 1651. poſtquam totalem impoſſibilitatem præceptorum Dei (quam cenſet tradi in Catechiſmo Janſeniano Romæ damnato) vehementer approbavit; demum expreſſurus Calvinianorum cum Janſenianis concordiam, & ab Eccleſia Romana diſcordiam, circa Mandatorum impoſſibilitatem, hanc ad Janſenianos Apoſtrophen dirigit, cap. 4. *Macte illa veſtra virtute, viri docti, quòd audeatis in os reſiſtere. ... illi Pontifici, qui in ſuorum Ieſuitarum gratiam, damnatâ orthodoxiſſimâ ſententiâ, puri puti pelagianiſmi putidam*

& impiam protectionem ſuſceperat.... .... Agnoſcitis enim quòd homini per gratiam Chriſti nondum liberato, loco libertatis abſtinendi à peccato, inducta eſt peccandi neceſſitas, ut probat multis Ianſenius, ex ſuo & veſtro Auguſtino lib. 3. De ſtatu nat. lapſæ cap. 11. Ita ille Calvinianus Miniſter.

§. IV.

Diſſenſus Ianſenianæ doctrinæ à SS. Scripturis.

1. DEUTERONOMII 30. v. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum; ſed iuxta te eſt ſermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.*

Hunc locum Apoſtolus ad Roman. cap. 10. v. 6. applicat poſſibilitati fidei.

2. LUCÆ 19. v. 21. *Regnum Dei intra vos eſt.* Id eſt, in manu, in poteſtate veſtra, Tertulliano interprete, lib. 4. contra Marcion. cap. 25.

3. MATTHÆI 11. v. 8. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Quomodo

modo ſuave, ſi impoſſibile? Quomodo leve, ſi intolerabile?

4. 1. ad Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari, ſupra id quod poteſtis.* Pateretur autem, immò & tentaret ſupra id quod poſſumus, ſi impoſſibilia juberet.

5. 1. JOANNIS 5. v. 3. *Mandata eius gravia non ſunt.* Erunt certè, ſi impoſſibilia obſervatu.

§. V.

Diſſenſus à Conciliis.

1. ARAUSICANUM II. De Gratia & Libero arbitrio, contra Pelagium, & ejus reliquias celebratum, ſub FELICE Papa IV. Anno Chriſti 529. ac deinde à BONIFACIO II. Papa confirmatum Anno 530. Canone 25. poſt medium: *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, POSSINT ET DEBEANT, SI FIDELITER*

LABORARE VOLVERINT, ADIMPLERE.

Nulli igitur baptizatorum, præcepta Dei ſunt impoſſibilia obſervatu; ac ne iis quidem qui inter eos obdurati ſunt & reprobi.

Temeraria. Anathemate prohibita.

2. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. *Nemo TEMERARIA illa, & à Patribus ſub ANATHEMATE PROHIBITA voce uti debet: Dei præcepta homini iuſtificato ad obſervandum eſſe impoßibilia. Nam Deus impoßibilia non iubet; ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & ADIVVAT ut POSSIS.*

Cùm Deus abſolutè *Adiuvet ut poſſimus*; præſentem nobis expeditámque præſtat adjuvantem gratiam, ad mandata implenda: adeoque purificata eſt conditio, ex qua Janſenius (Tom. 3. de Grat. Salv. lib. 3. cap. 13.) ſuſpendi, ſine cauſſa, voluit poſſibilitatem Divinorum mandatorum; cùm ipſe pugnaret, poſſibilia eſſe remotè tantùm & conditionatè, videlicet; *Si Deus adiuvat.*

3. Hinc

3. Hinc rurſus Tridentinum, ibidem Canon. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.*

§. VI.

Diſſenſus Ianſenii à SS. Patribus, præſertim Auguſtino.

Ubi jam perſpecta nobis eſt & explorata Scripturæ & Conciliorum doctrina, quorſum laboremus de Auguſtini, vel alterius cujuſcumque è SS. Patribus doctrina? Enimverò nullius Patrum ſententia vera eſſe poteſt, ſi eadem Scripturæ vel Tridentini oraculis diſſentanea inveniatur.

Verùm quàm divinis oraculis conſentiunt SS. Patres, tam à Janſenii errore diſſentiunt.

1. BASILIUS, Tom. 1. in orat. *Attende tibi*, poſt initi. *Impium eſt aſſerere, Præcepta Spiritus ſancti impoſſibilia eſſe obſervatu.* Impia.

2. HIERONYMUS, Tom. 6. in Matth. 5. in

in fine. *Sciendum eſt Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta.*

3. Idem, in expoſit. fidei, ad Damaſ. (apud S. Th. 2. 2. q. 44. art. 6.) *Maledictus qui dicit Deum impoſſibilia præcepiſſe.* A qua maledictione ſatis ſe profectum putavit Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 7. cùm frigidè reſpondit, eſſe hominis ſententiam, adeoque brutum fulmen.

Blaſphema. 4. AUGUSTINUS, ſerm. 191. de tempore, ſub finem: *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſervari.* Edit. Pariſ. Nivellii 1571. quam deinceps ſequemur, ut paſſim receptam.

5. Idem in Pſam. 56. [illegible], explicans locum Joannis 15. de dilectione proximi: *Neque imperaret hoc Deus ut faceremus, ſi impoſſibile eſſe iudicaret ut hoc ab homine fieret. Si conſiderans infirmitatem tuam, deficis ſub præcepto, confortare in exemplo: ſed etiamſi exemplum ad te multum eſt; adeſt ille qui*

præbuit

præbuit exemplum, ut PRÆBEAT & AVXILIVM. 15

6. Idem lib. 2. De peccator. merit. & remiſſ. cap. 3. initio: *Quod ſi nolumus, non peccamus; nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſsibile voluntati.* Quam ſententiam approbat Auguſtinus.

7. Idem ibid. cap. 6. in fine. *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſsibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adiuvandum, quo fiat quod iubet, impoſſile aliquid eſſe, ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato, adiutus à Deo.*

8. Idem de Natura & Gratia cap. 69. initio: *Eo ipſo quo firmiſsimè creditur, Deum iuſtum & bonum impoſsibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

9. Idem de Geneſi contra Manichæos lib. 1. cap. 3. extremo: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium*

rerum

rerum & temporalium SE AD EIVS PRÆCEPTA SERVANDA convertunt. QVOD OMNES HOMINES POSSVNT, SI VELINT; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.

Videatur etiam Auguſtinus, eadem confirmans, libro de Gratia & Libero Arbitrio cap. 4. 15. 34.

Ex quibus illud etiam colligere licet, Pontificiam Propoſitionis hujus condemnationem non eſſe verbis acrioribus conceptam, quàm rei ſummæ momentum poſtularet. Præſertim cùm eadem illa verba, quæ videri acerbiora poſſent, diu antè uſurpata fuerint cùm à Tridentino, tum à SS. Baſilio, Auguſtino, aliiſque Patribus.

§. VII.

De Notione gratiæ, ad propoſitas Quinque Propoſitionum difficultates neceſſaria.

1. *Gratia Dei* (qua homo ſemper indiguit ut meritoriè utiliterque ad

ſalutem æternam vel peccata vitaret, vel actum bonum cujuſmodicumque exerceret) duplex eſt: *Alia Actualis*, complectens auxilia omnia, quibus hominem Deus prævenit, illuſtrat, excitat, vocat, adjuvat, & perducit ad fidem, timorem ſalutarem, ſpem, pœnitentiam, & juſtificationem, ac in juſtitia conſervat, &c. Et hæc quidem *Gratia actualis* communis eſt Juſtis perinde & peccatoribus.

2. *Altera* verò quæ *habitualis* dicitur, *Sanctificans*, *iuſtificans*, *ipſáque iuſtitia*, eſt donum divinitùs infuſum, quod poſt operationem in anima noſtra habitualiter permanet, quo juſti efficimur, amici Dei, conſortes divinæ naturæ, filii adoptivi, ac hæredes ipſius Dei. Hæc nulla ratione cum peccato mortali conſiſtit; ſed per illud amiſſa recuperatur per veram ad Deum converſionem, congruámque pœnitentiam.

3. De *Actuali gratia* non levis eſt contentio inter Doctores Catholicos, & Corn. Janſenium Iprenſium Epiſcopum:

pum: hic ſiquidem paſſim (in ſuo Auguſtino Tom. 3. lib. 2. & alibi) inculcat; *Gratiam Chriſti*, hominibus poſt Adæ peccatum oblatam eſſe ejuſmodi, quæ ab humano arbitrio non poſſit abjici; ſed invictiſſimè rapiat, & neceſſitet voluntatem, ut reſiſti non poſſit. Doctores autem Catholici docent, arbitrium humanum poſſe diſſentire *Gratiæ actuali*, & illam abjicere: adeoque neque illâ præſente neceſſitari ad bonum, neque illâ abſente neceſſitari ad malum; quorum utrumque aſſerit Janſenius.

4. Cùm verò certiſſimè conſtet, multas Dei *Gratias* non ſemper ſortiri fines, ad quos dantur à Deo; quòd nimirum libera voluntas eis uti vel cooperari nolit: hinc conficitur, multas dari *Gratias ſufficientes tantùm*, & *non propriè efficaces*, ſive (culpâ hominis) non perducentes ad bonum opus à Deo intentum; tametſi illæ ſufficiant, ut homo bonum ejuſmodi opus actu operetur, ſi velit.

5. *Efficaces gratiæ* dicuntur, quæ ita

hominem

hominem movent ad bonum, ut ſequatur effectus: ſive, quæ ita dantur à Deo, ut illis demum homo conſentiat, & cooperetur.

6. Porrò in quo præcisè poſita ſit iſta *Gratia efficacia*; variant Doctorum Orthodoxorum ſententiæ. Omnes tamen cum Tridentino & Auguſtino conſentiunt, contra Janſenium, non eſſe poſitam in neceſſitatione arbitrii; ſed in vocatione vel motione ejuſmodi, cum qua ſtet libertas & poteſtas ad utrumlibet; ad conſentiendum, inquam, vel diſſentiendum.

7. E tribus Catholicorum ſententiis, prima docet, *Gratiam efficacem* conſiſtere in auxilio uno vel pluribus, & in modis, quibus Deus vocat, ita arbitrio contemperatis; ut numquam accidat, quin ultrò conſentiat ita vocatum.

Secunda, in motione certâ, vel prædeterminatione divina, quâ acceptâ arbitrium infallibiliter, liberè tamen & non neceſſariò, conſentit.

Tertia, in donatione auxilii, cui Deus conditionatè prævidet arbitrium

eſſe conſenſurum; ſi illud auxilium hîc & nunc, ſive in his aut illis circumſtantiis, donaret.

Et quidem tres illæ ſententiæ ex eò Catholicæ ſunt, quòd conentur *Gratiam* conciliare cum arbitrii libertate à neceſſitate; quam libertatem funditus evertunt Hæretici; ipſeque adeò Janſenius pluribus in locis, ut patebit ex ſequentibus.

SECUNDA PROPOSITIO.

§. I.

Secundæ Propoſitionis condemnatio.

„ SEcundam: *Interiori gratiæ in ſtatu* „ *naturæ lapſæ, numquam reſiſtitur:* „ Hæreticam declaramus, & uti talem „ damnamus.

§. II.

Conſenſus Ianſenianæ doctrinæ, cum ſecunda Propoſitione damnata.

1. *Nullum adiutorium gratiæ, cuius uſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur, ut illud amplectatur aut deſerat, ut illi conſentiat, aut non conſentiat, ſi voluerit, ad medicinale adiutorium Chriſti* (ſive, ad veram Chriſti gratiam) *ullo modo poteſt pertinere.* Tom. 3. lib. 2. cap. 5. colum. 103. initio.

2. *Adiutorium* gratiæ, *ante ruinam* Adæ, *erat tale, ut influxus adiutorii perinde atque voluntatis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis motu penderet, adeóque ſalva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò poſt ruinam tale eſt, ut faciat annuere, & influere, & velle voluntatem.* Et quibuſdam interjectis, naturam ejuſmodi adjutorii ſic explicat. *Eſt enim hoc ipſum, quod ſuapte efficaciâ facit influere facultatem, nec facultatis ipſius libero arbitrio ſubiacet, ſed invictè facit, ut hoc vel iſtud, arbitrium arbitretur & velit. Talis eſt influxus omnis cauſſæ formalis; hoc ipſo quippe quo adeſt iuſtitia, fit iuſtus animus.* Ibid. cap. 4. col. 97.

3. *Nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo caret, ſed omnis efficit ut voluntas velit & aliquid operetur.* Ibid. cap. 25. colum. 202.

4. *Meminiſſe debet nullam gratiam actualem ab Auguſtino pro illa vera Chriſti gratia agnoſci, quam tanquam Medicus infirmæ voluntati attulit, niſi*

niſi quæ agit, ET PERAGIT EFFECTVM : omnis alia qualiſcumque fuerit, ab ipſo ad legem doctrinámque relegatur. Ibid. cap. 32. col. 235. ſub finem.

5. Amplius etiam addit Janſenius. *Quamobrem ſextò, gratiam Dei Auguſtinus ita VICTRICEM ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat, hominem operanti Deo per gratiam, non POSSE RESISTERE.* Ibid. cap. 24. col. 200. med.

§. III.

Conſenſus Hæreticorum cum Ianſenio.

1. CALVINUS lib. 2. Inſtit. cap. 3. §. 10. *Citra controverſiam elicitur ex Joannis verbis; ſic efficaciter gubernari divinitùs piorum corda, ut INFLEXIBILI effectu ſequantur.*

Item lib. 3. de Liber. arbitr. in Pigh. pag. 166. affirmat, gratiam quæ agendi neceſſitatem non imponit, illam ipſam

eſſe poſſibilitatis gratiam, quam admittebant Pelagiani. Quod etiam Catholicis Doctoribus frequenter improperat Janſenius. Vide Tom. 3. lib. 2. cap. 9. per totum, & alibi.

Idem in Antidoto Tridentini, ad ſeſſ. 6. §. *Porrò*, &c. cùm dixiſſet, Tridentinos Patres pugnare cum illa Chriſti Domini ſententia; *Quiſquis audivit à Patre meo, venit ad me*, docet; *motum Spiritus Sancti ſic eſſe efficacem, ut fidem ſemper gignat*. Item ibid. ſub initium, dicit Tridentinos Patres hallucinari, quòd *gratiam aſſerant, cui poſſimus reſiſtere*.

Stat igitur à Calvino adverſus Tridentinum quiſquis aſſerit, cum Janſenio, numquam reſiſti motui Spiritûs Sancti; hoc eſt, gratiæ interiori.

2. LUTHERUS, toto libro; de *Servo arbitrio*, hoc dogma inculcat, & Zanchius pag. 132. Magiſtri exemplo, fusè tradit.

3. PETRUS MOLINÆUS, Enucleat. Controverſ. ſuper doctrina de Provident. Prædeſtinat. impreſſ. Lugduni Batav.

Batav. 1619. Part. 2. pag. 17. eos qui arbitrantur hominem poſſe Dei gratiæ reniti vel obſequi, ita refellit: *Hoc eorum dogma nititur falſo hoc principio: nullam eſſe ſuaſionem, cui non poſſit ſic reſiſti, ut eius effectus tandem impediatur. Hoc principium falſum eſſe contendimus*: (loquitur in perſona Hæreticorum.) *Eſt enim quædam ſuaſio tam efficax, ut hominem NECESSARIO TRAHAT IN ASSENSUM: cui cùm poßis reſiſtere, ſi velis, non potes tamen velle.*

Quod Janſenio conſonat lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 10. & 35. ubi docet, hominem gratiá medicinali afflatum poſſe illi quidem reſiſtere, ſi velit; imò & Beatos poſſe Deum non amare, ſi velint: at illud velle eos non poſſe.

4. THEODORUS BEZA, libro adverſus Caſtellion. edit. ſecundæ Geneven. pag. 456. 457. ubi conatur oſtẽdere, ex S. Auguſtino, gratiã naturæ lapſæ à gratia naturæ integræ eò differre, quòd hæc voluntatem ad agendũ indifferentẽ relinqueret; illa verò agendi neceſſitatem

afferat. Quo nihil dici poteſt affinius Janſenianæ doctrinæ.

5. Idem docent PETRUS MARTYR, in locis communibus, titulo De Libero Arbitrio, non longè ab initio. Et PAULUS FERRIUS, nuper Rabinus Synagogæ Metenſis, in *Scholaſtico Orthodoxo.*

6. SAMUEL MARESIUS, Calvinianæ Synagogæ ad Groningam Archi-miniſter, in *Additionibus* ad Catechiſmum Janſenianum, pag. 25. ex doctrina ejuſdem Catechiſmi, abs ſe probati, infert; *Sic corruit inepta & importuna Jeſuitarum, & aliorum gratiæ diſtinctio in ſufficientem & efficacem.* (De qua Didacus Alvarez, qui primus è Thomiſtis coram CLEMENTE VIII. diſputavit, in Congregationibus de auxiliis, pronuntiat Diſput. 71. num. 2. *Nullus Catholicorum dubitare poteſt de diviſione gratiæ in ſufficientem & efficacem.*) Deinde ſubdit Mareſius: *nec gratia Chriſti dici debebit, niſi VICTRIX ET LIBERATRIX fuerit.*

7. Hinc eſt quòd Hæretici, contro-

verſiæ illius, quæ inter eos & Catholicos intercedit, ſummam in eo ponant; *An poſſit homo, poſt lapſum, gratiæ diſſentiri.* Audiendus Scharpius, libro de Liber. Arbit. cap. 3. *Status tertiæ CONTROVERSIÆ INTER nos ET PONTIFICIOS EST. Sítne homo, poſt lapſum, verè liberi arbitrii, in iis rebus quæ pertinent ad ſalutem, & quamvis nihil poſſit ſine auxilio gratiæ, tamen per gratiam prævenientem excitatus, & à Deo adiutus ita valeat operari, ut poſſit etiam non operari. Affirmativam partem tuetur Bellarminus, Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. canon. &c. Nos verò* (Tridentini ſcilicet, Pontificiorúmque hoſtes) *dicimus in homine, poſt lapſum, &c. Deum ita efficaciter agere, & voluntatem flectere, ut hominis voluntas Deum, converſionem hominis volentem & operantem, non ſequi non poſſit: licèt non coactè, ſed ſponte ſequatur.*

Facit igitur cum Hæreticis adverſus Concilum Tridentinum, quiſquis docet; *Interiori gratiæ, in*

ſtatu naturæ lapſæ, numquam reſiſti.

§. IV.

Diſſenſus Ianſenianæ doctrinæ à SS. Scripturis.

1. PROVERB. I. v. 24. *Vocavi & renuiſtis*, &c.

2. MATTHÆI 20. v. 16. *Multi vocati, pauci verò electi.*

Ideo autem non electi, quòd vocanti per gratiam Deo reſtiterint.

3. MATTHÆI 22. v. 3. *Miſit vocare invitatos ad nuptias, & nolebāt venire.*

4. MATTHÆI 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos .... & noluiſti?*

Item cap. 11. verſu 21. & 23.

5. ACTORUM 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.*

6. 2. ad Corinth. 6. v. 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In vacuum gratiam recipit, qui cum ea non laborat, ait D. Anſelmus; ſed oblatæ reſiſtit.

7. Ad

7. Ad Hebræos 12. v. 15. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.*

§. V.

Ejuſdem diſſenſus à Conciliis.

1. SENONENSE Anno 1528. Decreto fidei 15. *Non eſt tale trahentis gratiæ auxilium, cui reſiſti non poſſit.*

2. TRIDENTINUM ſeſſ. 6. cap. 5. *Tangente Deo cor hominis ....,.... inſpirationem illam recipiens, abiicere poteſt.*

3. Ibidem cap. 13. *Deus, niſi ipſi illius gratiæ defuerint* (eam ſcilicet abjiciendo, ei reſiſtendo) *ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.*

4. Ibid. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum .... non poſſe diſſentire, ſi velit.......... anathema ſit.*

Et quidem obſervandum eſt, Tridentinum citatis cap. 5. & canone 4. agere de *Gratia efficaci*, ut patet ex errore oppoſito, ibi damnato. Ut hinc certum ſit, hominem *poſſe gratiam*

efficacem

efficacem abiicere, eíque diſſentire, ſi velit. At verò quînam poteſt ejuſmodi gratiam abjicere, eíque diſſentire; ſi (ut docet Janſenius) eâ poſitâ, neceſſe eſt ut conſentiat, & impoſſibile ut ponat diſſenſum?

Quapropter Janſeniani iſtis Tridentini verbis preſſi, negant inde meritò colligi, hominem abſolutè gratiæ diſſentiri poſſe: Sed hanc Propoſitionem aiunt eſſe conditionalem, iſti perſimilem; *Homo poteſt volare, ſi habet alas.* Ita, inquiunt, illa ſententia; *Poteſt homo gratiæ diſſentiri, ſi velit*, conditionalis eſt, nec pronuntiat abſolutè hominem poſſe gratiæ diſſentiri; ſed tantùm ex hypotheſi, quod velit: quæ hypotheſis cùm ſit impoſſibilis, abſolutè etiam eſt impoſſibile, ut gratiæ diſſentiri poſſit: verè tamen dicitur, gratiæ diſſentiri poſſe, ſi velit: ſicut verè dicitur, ſi homo eſt Deus, poteſt Angelos creare.

Plumbeum iſtud Janſenianæ ſcholæ acumen riſit tantò antè Waldenſis, libro 1. doctrinæ fidei artic. 1. cap. 15. cui titulus

titulus eſt; contra ſubterfugium illud Wiccleffi: *Poteſt Deus, ſi velit.* Riſit etiam in Wiccleffo Wilelmus Wildefortius, Waldenſi ætate ſuppar; cujus hæc ſunt verba Janſenianos confutantia: *Quod non eſt poſſibile, niſi ſub conditione impoſſibili, abſolutè non eſt poſſibile: & ideò ſi Deus tantùm poteſt deſtruere creaturas, ſi velit* (quod aſſerebat Wiccleffus) *& id velle non poteſt, non poteſt eas deſtruere. Aliàs ſequitur, Deum annihilare Deum ſecundùm Divinitatem, eſſe Deo poſſibile, ſi Deus velit. Item, Deum facere hominem, & non facere, Deo erit poſſibile, ſi Deus velit. Et omnis contradictio eſt Deo poſſibilis, ſi Deus velit.* Ita ille.

5. Denique Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. ante med. *Quò fit ut iuſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debeant, quò liberati iam à peccato.............. ſobriè, iuſtè, & piè viventes proficere poſſint per Chriſtum Ieſum.* Jam verò cùm certum ſit, neque juſtificatos omnes facere id ad quod obligantur in via juſtitię, neque

poſſe

poſſe illud *per Chriſtum*, niſi beneficio *actualis* & *internæ gratiæ*, colligi debet; non dubiam eſſe Tridentini ſententiam, *Iuſtos ſæpè reſiſtere interiori gratiæ*; fruſtrando illam effectu ſuo.

§. VI.

Diſſenſus Ianſenii à D. Auguſtino, & aliis SS. Patribus.

1. AUGUSTINUS libro de Spirit. & littera cap. 34. ſub finem. *Miſericordia Dei prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt*; utique cooperantis *interiori gratiæ*, ſi conſentiat vocationi Dei; reſiſtentis autem, ſi diſſentiat.

2. Idem in Pſalm. 51. longè ab initio, explicans hæc verba: *Dilexiſti malitiam, ſuper benignitatem*, ait; *Ante te erat benignitas, ipſam diligeres. Non enim aliquid eras erogaturus, aut quod diligeres de longinqua navigatione allaturus eras. Benignitas ante te, iniquitas ante te, compara & elige. Sed fortè habes oculum, quo videas malignitatem,*

gnitatem, & non habes oculum, quo videas benignitatẽ. Væ iniquo cordi. Quod peius eſt, avertit ſe, ne videat quod videre poteſt. Quid enim de talibus alio loco dictum eſt? Noluit intelligere ut benè ageret. Non enim dictum eſt, non potuit: Sed noluit, inquit, intelligere ut benè ageret: Clauſit oculos à luce præſenti.

Quiſquis ſe avertit, ne videat benignitatem, quam (utpote ante ſe poſitam) facilè videre poteſt; omninò *reſiſtit interiori gratiæ*, quâ proximè expeditus reddebatur, ut videret ac diligeret (ſicut ad ſalutem oportet) quod viribus naturæ non poterat. Alioquin ſi ille *gratiæ interioris auxilium* non habuiſſet, de eo certè dicendum à Pſalmographo fuiſſet; quòd peccator, defectu neceſſariæ ad benè agendum *interioris gratiæ, non potuit intelligere, ut benè ageret*; non autem, quod *noluit*. Neque etiam Auguſtinus criminari eum debuiſſet; quòd *Clauſit oculos à luce præſenti*: quippe qui lucem (id eſt *gratiam*) præſentem, expeditam, ſibique divinitùs oblatam nec habuit; nec verò habere,

habere, ſuis ipſe viribus, ulla ratione potuit.

3. Idem, Homil. 12. ante med. ex 50. *Cùm per Dei adiutorium, in poteſtate tua ſit, utrum conſentias diabolo, quare non magis Deo, quàm ipſi optemperare deſideras?*

Qui diabolo conſentit, cùm per *Dei adiutorium* poſſit obtemperare Deo, is ſine dubio *reſiſtit interioris gratiæ adiutorio.*

4. Idem ad Simplicianum lib. 1. Quæſt. 2. longè à principio, ubi meminit 1. Cor. 9. *Noluit Eſaü, & non cucurrit: ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adiutorio perveniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando præſtaret, nî vocatione contemptâ reprobus fieret.*

5. Idem in Pſal. 102. ad Explanat. verſus 8. longè à fine: *Vocat undique ad correctionem; vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam*

cordiam conſolationis. Longanimis & multæ miſericordiæ. Sed obſerva, ne longitudine miſericordiæ Dei malè utendo, tu tibi theſaurizes (quod ait Apoſtolus) iram in die iræ, & revelationis iuſti Judicii Dei. Et nonnullis interjectis: *Non ſic tibi videatur Deus miſericors, ut non videatur & iuſtus .... Gaudes ad verba ſuperiora, ad ultimum treme.......... Cùm tibi theſaurizaveris iram in die iræ, nónne experieris iuſtum, quem contempſiſti benignum?*

Quis hinc non videt, neceſſariò ſequi ex Auguſtini ſententia homines poſſe, ac nimis frequenter ſolere reſiſtere interiori gratiæ? Nam peccator (quem Deus exſpectat, invitat tam multiplici vocationum genere ad pœnitentiam, cui item minatur ſi eam negligat) vel habet gratiam ut ſe convertat ad Deum vocantem, vel illam non habet. Si non habet; vult igitur D. Auguſtinus peccatorem facere quod fieri non poteſt; id autem ridiculum eſt: aut docet eum facere id poſſe ſine Gratia, quod

Pelagianum eſt.

6. Idem ſerm. 102. de tempore, circa med. ſic peccatorem alloquitur: *Deus te rogat, ut tui miſerearis, & non vis. Cauſſam tuam apud te agit, & à te non poteſt impetrare. Et quomodo te audit ille in die iudicii ſupplicantem, cùm tu eum pro teipſo nolueris audire rogantem?*

Quid ſit autem peccatorem ſui miſereri, docet paulò ſuperiùs, dum ait: *Modò enim* Deus *pro ineffabili pietate ſua non ſolùm nos admonet, ſed etiam rogat ut nos à peccatis mortiferis revocemus.* Quod facere non poteſt niſi qui gratiæ interioris auxilium expeditum habet; cui reſiſtit quiſquis Deo roganti & ſollicitanti ad pœnitentiam modò obſurdeſcit.

7. Idem in Pſalm. 91. in Enarrat. poſt initium. *Sathanas non cogit invitum: in tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire.*

Alloquitur peccatores, diabolo reipſâ conſentientes. Certum eſt autem, vel ipſi Janſenio, conſenſum aut non

conſen-

conſenſum in noſtra poteſtate poni per *internam gratiam*. Habent igitur iſti; conſentientes diabolo, *internam gratiam*, cui malitioſè reſiſtunt.

8. CYRILLUS ALEXANDRINUS, in Joannis cap. 17. libro XI. cap. 21. in fine: *Quod ſi proditor* (Judas Iſcariotes) *æqualiter aliis Diſcipulis Salvatoris auxilium non habuiſſet, fruſtrà hæc à nobis dicerentur. Sin autem non minùs quàm cæteri divinâ gratiâ regebatur*; (præveniente videlicet ac pulſante ad oſtiũ cordis, ut à ſomno peccati dormientem excitaret) *ſed ſuo ipſius iudicio in profundum perditionis delapſus ſit, quomodo etiam non ſervavit eum Chriſtus? qui ſuum patrocinium ei præſtitit; qui quantùm ad ferendam opem illi attinuerit, ſervaſſet hominem, niſi ultrò ille in perditionem inſiliiſſet. Gratia igitur in aliis effulſit, ſervavítque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt: ſic enim ſalutis noſtræ modus diſpoſitus eſt.*

Quid clarius adferri poteſt, adverſus irreſiſtibilem, ſemper victricem, neque

unquam effectu carentem Janſenii gratiam.

Et quidem obſervandum eſt, iſta verba eſſe Sanctiſſimi ac doctiſſimi Patris Cyrilli, qui, nomine Sancti Cæleſtini Papæ, præfuit Concilio Epheſino primo, ac Neſtorium ſuis primùm ſcriptis, deinde etiam authoritate damnavit. Neque in dubium vocari poſſe, an ſint ipſa Cyrilli verba, cùm è 12. libris Cyrilli in Joannem, quatuor tantùm intermedii perierint. Vide Bellarmin. de Scriptor.

9. PROSPER, lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 26. *Quæ voluntas de ſua habet mutabilitate ſi deficit; de gratia verò opitulatione ſi proficit: & quòd à multis refutatur gratia, ipſorum eſt nequitia: quòd à multis recipitur, gratiæ divinæ eſt, & voluntatis humanæ.* Vide eundem ibidem cap. 11.

10. ANSELMUS, Tom. 1. in Matth. 6. explicans illud, *Fiat voluntas tua:* docet aliquando contingere, ut Deus velit *per miſericordiam de aliquo pravo, quod ſit Juſtus, & conferat illi gratiam ſuam,*

ſuam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat.

11. Denique Chryſoſtomus iſtis omnibus antiquior, idem ſæpè confirmat, nominatim Tom. 3. homilia 46. in Joannis cap. 6. poſt med. longè. *Non enim vi, & neceſſitate quadam, Deus bonos facere conſuevit, neque electio eius violenta eſt, ſed ſuaſoria............. Multos vocatos perire contingent. Quamobrem conſtat in noſtro eſſe arbitrio, an ſalvemur, an perdamur.*

TERTIA PROPOSITIO.

§. I.

Tertiæ Propoſitionis condemnatio.

, TErtiam : *Ad merendum, & de-*
, *merendum in ſtatu naturæ lapſæ,*
; *non requiritur in homine libertas à*
; *neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coa-*
, *ctione.* Hæreticam declaramus, & uti
, talem damnamus.

§. II.

Conſenſus Ianſenianæ doctrinæ cum tertia Propoſitione damnata.

1. *Duplex neceſſitas Auguſtino, coactionis & ſimplex, ſeu voluntaria; illa, non hæc repugnat libertati.* Tom. 3. de Grat. Salvator. lib. 6. cap. 6. in titul. col. 628.

2. *Sola neceſſitas coactionis adimit liber-*

libertatem , non neceſſitas illa ſimplex & voluntaria. Ibid. cap. 6. colum. 635. ſub finem.

3. *Ex quibus apertè conſectaneum eſt, omnem omninò voluntatem quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali neceſſitate, qua dicitur neceſſe eſſe ut velit, deſinere eſſe liberam.* Ibidem colum. 634. ante med.

4. Conſtat; *Nihil aliud libero generaliter repugnare, niſi quod fit cùm nolumus; hoc eſt, neceſſitatis illius prementis, cogentíſque violentiam.* Ibid. cap. 12. colum. 658. initio.

5. *Hinc, nulla gratiæ efficacia, nulla neceſſitas actibus noſtris liberis formidanda eſt; ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ .... Reliquam verò quamcumque & quantamcumque neceſſitatem cur timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis?* Ibidem, lib. 8. cap. 19. colum. 869. circa med.

Habet præterea ſexdecim alios locos, ubi hoc fundamentale dogma hæreticæ opinionis confirmat; præ-

ſertim toto libro 6. de Grat. Chriſti. Salvat. cap. 6. 7. 8. 9. 10.

§. III.

Conſenſus Hæreticorum.

1. Wiccleffus apud Waldenſem (lib. 1. Doctrinæ fidei Art. 1. cap. 22. 23.) arguitur ea ratione tollere libertatem: Ita enim Waldenſis: *Reſpondent communiter Wiccleffiſtæ trutinantes Gloſſam evaſoriam, quòd Deus non neceſſitat neceſſitate coactionis ad bonum, vel malum futurum: quia illa ſola tollit arbitrii dignitatem: non autem alia neceſſitas præveniens abſolutè futuritionem effectus.*

Quid cum Janſenii ſententia, ſuprà citatâ, conſentaneum magis?

2. Lutherus, libro de Servo Arbitrio, edit. Wittemberg. Anni 1546. fol. 468. *Sequitur, nos neceſſariò operari; neceſſariò verò dico, non coactè, neceſſitate immutabilitatis, non coactionis: hoc eſt, homo cùm vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus*

obtorto

obtorto collo, nolens facit malum, ſed ſponte & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modò neceſſitatem immutabilitatis, quòd voluntas ſeſe mutare & vertere aliò non poſſit. Rurſus ex altera parte, ſi Deus in nobis operatur, mutata & blandè aſſibilata per Spiritum Dei voluntas, iterum merâ libentiâ & pronitate ac ſponte ſuâ vult & facit, non coactè, pro naturâ voluntatis, quæ ſi cogeretur, voluntas non eſſet. Nam coactio potiùs eſt, ut ſic dicam, noluntas.

3. Iſtud Lutheri dogma hæreticum fuſè explicat Hieronymus Zanchius, Lutheranorum ſubtiliſſimus; præſertim cap. 6. lib. 1. tractatuum Theologic. Theſi 1. pag. 81. edition. Neoſtadienſ. Anni 1597. Tom. Miſcellan. lib. 3. tract. de Prædeſtin. ac præcipuè cap. 6. edit. 3. Anni 1593. pag. 72. ſic habet: *Verùm in hoc negotio, hominibus impedimento eſt, quòd non exiſtimant eſſe liberum arbitrium, in illis rebus, quæ aliter ſe habere non poſſunt; neque cogitant Libero Arbitrio opponi coactionem, non*

autem neceſſitatem, aut aliter volendi impoſsibilitatem.

4. Notandum verò inprimis, dogma illud ita eſſe Lutheranorum proprium adverſus Catholicos, ut illorum primipilus Martinus Bucerus, libro de Concordia doctrinæ, affirmarit: *Pax eſt Catholicos inter & Lutheranos, Si ſola coactio libertati repugnet: quod enim Catholici dicunt, Hominem eſſe liberi arbitrii, intelligi debet, de Arbitrio libero à coactione, non à neceſſitate: quod verò dicunt Lutherani, Hominem non eſſe liberi arbitrii, accipiendum eſt, de arbitrio Libero à neceſsitate, non à coactione.*

5. CALVINUS lib. 2. in Pighium edit. 3. Genevenſis pag. 153. *Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum arbitrium vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror.*

Eadem dixerat lib. 2. Inſtit. cap. 2. §. 6.

6. Item

6. Item BEZA libello Quæſt. & Reſponſ. Chriſtianar. edit. 3. Genevenſ. Anni 1576. pag. 680.

7. Item CHAMIERUS fuſiſſimè Tom. 3. lib. 2. cap. 1. num. 12. Item PETR. DU MOULIN, Bouclier de Foy Artic. 9. Item JOANNES PISCATOR, WITTACHERUS, aliique ferè omnes hujus ætatis hæretici.

8. Noviſſimè autem SAMUEL MARESIUS, in ſua *Synopſi de vera & Catholic. doctrin.* cum ex doctrina Catechiſmi Janſeniani (quem laudat impenſè) collegiſſet, non quamlibet neceſſitatem repugnare intrinſecæ libertati voluntatis; ſed propriè & maximè coactionem, dicit pag. 71. *Hîc etiam* (nimirum in Catechiſmo Janſenii) *agnoſci meritò ſervitutem liberi arbitrii*, &c.

§. 4.

Obſervationes, quæſtioni clarius intelligendæ.

1. Ex Philoſophorum, Theologorumque vulgari opinione Liberum Arbi-

Arbitrium definitur: *Potentia, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere, & non agere.* Hanc verò arbitrii libertatem perimit neceſſitas ſimplex, ſeu determinatio ad unum: quia partis alterius eligendæ facultatem eripit.

2. Ex Ariſtotele, S. Thom. Theologis, ac Philoſophis paſſim, *Voluntarium eſt id, cuius principium eſt in ipſo agente, cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio.* Sive, ex Damaſceno; *Quod fit à principio intrinſeco, cum cognitione finis.*

3. *Coactum eſt quod fit à principio extrinſeco, paſſo nihil conferente; ſed potiùs repugnante.* Ita ex Ariſtotele Philoſophi paſſim. Qui etiam obſervant, violentum, coactum, & involuntarium diſtingui ſicut genera à ſpeciebus. *Violentum* complectitur omne quod ſit contra inclinationem rei cujuſlibet, etiam inanimæ. *Coactum* (quod ſpontaneo tantùm opponitur) eſt omne id quod fit contra inclinationem appetitûs ſenſitivi, aut rationalis. *Involuntarium* ſoli adverſatur volũtario, eſtque

id

id omne quod fit contra inclinationem voluntatis. Unde omne involuntarium, eſt coactum; & omne coactum, violentum: non autem contrà, omne violentum, eſt coactum; neque omne coactum, eſt involuntarium.

4. Voluntati vis inferri non poteſt quoad actus elicitos; ſeu fieri non poteſt, ut actus aliquis elicitus à voluntate, involuntarius ſit, & coactus. Quia nullus actus elicitus à voluntate, poteſt eſſe à principio extrinſeco, voluntate nihil conferente.

5. Voluntas poteſt vim pati quoad actus imperatos: id eſt, poſſunt actus aliarum facultatum, quæ naturâ ſuâ voluntatis imperio ſubjiciuntur, poni voluntate renitente. Poteſt enim quilibet per vim adigi ad audiendum quod audire nolit, vel ad videndum quod nolit intueri.

6. Docet Janſenius, in Statu naturæ lapſæ, abſolutam & antecedentem neceſſitatem voluntati hominis inferri, hinc à concupiſcentia ad malum, illinc à gratia ad bonum: atque adeò cùm

benè agit, neceſſariò benè agere; cùm malè agit, neceſſariò malè agere.

En hujus rei duo è multis luculenta Janſenii teſtimonia. Primum: *Libertas ad faciendum bonum, & ad abſtinendum à malo interiit; & loco libertatis, peccandi neceſſitas conſecuta eſt. Voluntas enim concupiſcentiæ imperio & ponderi ita indeſinenter ſervit, eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omninò motibus ſervit divinæ charitati.* Tom. 3. lib. 1. cap. 4 col. 16.

Alterum teſtimonium ſic habet: *Si non eſt alia libertas vera voluntatis, quàm agendi & non agendi, graviſſima abſurda evitari nequeunt......... Sequitur enim operationem gratiæ diametraliter repugnare Philoſophicæ libertati, ſeu indifferentiæ libertatis: quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eámque determinatè facit agere, vel non agere; velle, vel non velle.* Tom. 3. lib. 7. cap. 4. col. 798.

7. Cùm autem ad meritum, requiratur ex parte actus libertas (unde D. Bernardus ſerm. 81. in Cantic. ait; *Ubi*

Ubi non eſt libertas, nec meritum) ſive liberi arbitrii exercitium: ſtatuit proindè Janſenius manere nihilominus in homine liberi omninò arbitrii exercitium, etiam in hoc ſtatu naturæ lapſæ: quòd libertas ad merendum vel demerendum nunc requiſita, ex ejus falſis principiis, non conſiſtat in indifferentia agendi & non agendi (contra quod obſervatum eſt num. 1.) nec cum abſoluta & antecedenti neceſſitate pugnet; ſed coactioni tantum, aut violentiæ internæ adverſetur. Quod explicans: (Tom. 3 lib. 6. cap 5. col. 625.) *Voluntas*, inquit, *ſeu volitio & libera volitio idem ſunt; ſicut velle, & liberè velle: & impoſſibile eſt, ut velle non ſit liberum.* Adeóque actus quilibet voluntatis, cum coactus eſſe non poſſit, ſemper idoneus eſt (quantumvis neceſſariò vel à gratia ad bonum, vel à concupiſcentia ad malum expreſſus) ſive ad merendum, ſive ad demerendum. Quod hæreticum eſſe meritò declarat ſummus Eccleſiæ Paſtor, hac Propoſitione tertia.

8. Deni-

8. Denique, apud S. Thom. aliosque Theologos, quadruplex diſtinguitur libertas. 1. *Libertas à miſeria*, eſt libertas gloriæ: cùm enim gloria ſeu Beatitudo æterna ſit bonorum omnium complexio, miſeriam omnem excludit. Hanc libertatem reſpiciens Apoſtolus ſcripſit ad Roman. 8. capite: *Creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* 2. *Libertas à peccato*, eſt libertas gratiæ, qua à ſervitute peccati liberamur, de qua ad Roman. 6. *Liberati à peccato, ſervi facti eſtis iuſtitiæ.* 3. *Libertas à coactione*, dum aliquid fit ſine violentia, ſeu nullâ vi illatâ ab extrinſeco, quantumvis neceſſariò fiat, ut ſuprà obſervatum eſt. 4. *Libertas à neceſſitate*, ab aliis vocatur libertas indeterminationis & indifferentiæ, ad agendum videlicet & non agendum: quò ſpectat illud Apoſtoli, 1. Corinth. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Iſtam quadruplicem libertatis acceptionem, ab Auguſtini Diſcipulis neceſſariò ob-

ſervandam,

ſervandam, non ſatis diſtinxiſſe Janſenius videtur; ac proinde non levem in D. Auguſtini mente intelligenda diffi-cultatem paſſus.

Diſtinxit ſanè verus D. Auguſtini Diſcipulus, S. Fulgentius, qui in reſponſione ad primam inquiſitionem Ferrandi: *Malos*, ait, *habere liberum arbitrium, non liberatum: liberari verò per gratiam. Ex quo enim primus homo libero arbitrio venundatus eſt ſub peccato; ideo mala cœpit eſſe libertas hominis; quia ipſi libero arbitrio ablata eſt bonitas voluntatis.*

Atque hic ille ſcopulus eſt, ad quem Janſenius cum ſua ſchola impegit, ex malè intellectis aliquot D. Auguſtini locis; (ut Enchiridii cap. 30. & libri de Corrept. & Gratia cap. 12.) ubi quod S. Doctor dixit de illo libertatis genere quod ſervituti ex adverſo reſpondet; id tranſtulit ad naturalem hominis facultatem: ac poteſtatem boni malíve eligendi negavit ad illius pertinere naturam. Quæ multum ſanè invicem diſcrepant.

Id præclarè obſervavit Richardus Victorinus de Erudit. interioris homin. cap. 30. *Aliud eſt arbitrii poteſtas, atque aliud eſt arbitrii libertas. Aliud eſt enim magna poſſe, atque aliud eſt liberum eſſe. Et liber & infirmus eſſe potes, ſicut è contrario & ſanus & ſervus eſſe potes*, &c. *Quàm multi in definitione liberi arbitrii errant, quia inter poteſtatem & libertatem diſtinguere ignorant, vel diſſimulant................... Nemo ad omnia bona accipit poteſtatem, ſed omnis homo ad omnia bona vel mala accipit libertatem.*

Hanc igitur boni per ſe amplectendi poteſtatem perdidit homo per peccatum; non tamen libertatem, ſive agendi vel non agendi liberam facultatem: quæ adjuta Dei gratiâ, non neceſſariò, ſed ſponte ſic eligit bonum, ut illud repudiare, & malum amplecti poſſit.

In quo vera libertatis, cujuſmodi in hac vita cernitur, ratio conſiſtit, ab Auguſtino, aliiſque SS. Patribus aſſerta.

§. V.

§. V.

Diſſenſus Ianſenii à SS. Scripturis.

1. GENESIS 4. v. 7. Deus ipſe denuntians, eſſe in poteſtate ac dominio arbitrii humani, cōſentire aut diſſentire appetitui; adeoque benè & malè agere, in ordine ad merendū, aut demerendum, reſpectivè: *Nonne*, inquit, *ſi benè egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.*

2. DEUTERONOMII 30. v. 19. *Teſtes invoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem. . . . . Elige ergo vitam; ut & tu vivas.*

Quomodo utrumque propoſitum eſt? Quomodo unum eligitur præ altero; ſi (ut vult Janſenius) arbitrium neceſſariò rapiatur ad alterum? Quomodo item ex hoc loco D. Cyprianus (lib. 3. ad Quiri. cap. 52.) probat, cre-

dendi, vel non credendi libertatem in arbitrio homínis poſitam eſſe?

3. ECCLESIASTICUS cap. 31. manifeſtè docet, ad meritum requiri libertatem, nòn à coactione tantùm; ſed etiam à neceſſitate ſimplici: ait enim, illum eſſe laudandum, *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit.*

In quem etiam ſenſum S. Irenæus lib. 4. cap. 71. *Qui operantur bonum,* inquit, *gloriam & honorem percipient; quoniam operati ſunt bonum, cùm poſſent non operari illud.*

Unde, contra Janſenium, colligitur; eum qui ita bonum operatur, ut non poſſit non operari; qui ita non tranſgreditur, ut non poſſit non tranſgredi; etſi utrumque ſponte ac voluntariè faciat, adeoque liber à coactione; nihil tamen mereri: ob defectum libertatis à neceſſitate; hoc eſt, ob defectum indifferentiæ proximæ agendi vel non agendi,

4. E diverſo, apud D. Lucam cap. 10. verſ. 42. laudatur ab ipſomet Chriſto Domino

Domino Maria, ſoror Marthæ; quòd optimam partem præ Martha elegerit, ad quam Maria non magis neceſſitabatur, quàm Martha: neutra autem laudem ullam promerita fuiſſet, ſi ex neceſſitate partem optimam elegiſſet.

§. VI.

Diſſenſus à Conciliis.

1. CONSTANTIENSE, ſub Joanne Papa XXIII. Anno 1414. ſeſſ. 8. damnat articulum Viccleffi, aſſerentis; *Omnia de neceſsitate abſolutâ eveniunt*. Art. 27.

Hujus autem Articuli damnati ſenſum hunc tradit Waldenſis, lib. 1. Doctrin. fidei cap. 23. & 24. affirmans: Wiccleffiſtas docere: quòd Deus non neceſſitat neceſſitate coactionis ad bonum: quia illa ſola tollit arbitrii dignitatem; non autem alia neceſſitas. Quæ eſt Germana Janſenii doctrina.

2 SENONENSE, ſub Clemente Papa VII. Anno 1528. To. 4. CC. in Decretis fidei, Decreto 15. *Cùm reliquerit Deus hominem in manu conſilii ſui,*

appoſuerítque coram eo ignem & aquam, bonum & malum: ut ad quodcumque voluerit, porrigat manum ſuam: nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit transgredi, & non eſt tranſgreſſus; & facere mala, & non fecit; quòd ſub eo ſit appetitus eius, & dominetur illius: ac denique percurrenti S. Scripturam, paſſim obvium ſit, quòd liberum utramvis in partem hominis arbitrium aſſeveret, &c.

3. Eandem arbitrii noſtri libertatem ad utrumlibet, pluribus locis diſertè aſſerit Tridentinum. videatur præſertim ſeſſion. 6. can. 4. ubi anathema dicens negantibus, liberum hominis arbitrium motioni divinæ *poſſe diſſentire, ſi velit*; ſtudiosè intendit ſalvare veram & propriam arbitrii libertatem ad merendum neceſſariam, quæ ſtare non poteſt, cùm voluntas (ex Janſenii mente) ita prævenitur neceſſitate, ad unam partem determinante, ut impedita ſit reſpectu alterius.

4. Item ibidem, canone 6. anathemate percutit negantes, *Eſſe in poteſtate hominis*

hominis vias ſuas malas facere, &c. Ibique definit, voluntatem dum peccat, non tantùm poſſe peccare; ſed habere peccatum in poteſtate, id eſt, peccatoris voluntatem (de quo uno agitur) ita peccatum producere, ut poſſit illud ſupprimere, ſive non producere; quod eſſe non poteſt, ubi eſt peccandi neceſſitas. Videatur etiam ejuſdem ſeſſionis caput 5.

5. Jam verò, cùm ex ejuſdem ſeſſionis canone 32. habeamus; *Hominis iuſtificati bona opera ita eſſe Dei dona, ut ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita*: Hinc clarè conficitur, bonis illis operibus, quibus in hoc naturæ lapſæ ſtatu vitam æternam adipiſcimur, *meritum* aliquod ineſſe, non *humanum* quidem illud, *noſtrum*, aut libero arbitrio integrè adſcribendum; ſed aliud quoddam divinâ gratiâ comparatum, atque ejuſmodi quod ſatis ſit, ut Deus non immeritò ſua largiri nobis præmia dicatur. Illud verò ſine libertate ad utrumlibet ſtare minimè poteſt. Quis enim prudens rerum æſtimator credat, ho-

minem laudis aliquid ac meriti (quibus ſolis præmium & merces decernitur) colligere ex eo poſſe, quod ſponte quidem, at naturali neceſſitate benè ageret? Certè D. Auguſtinus pluribus in locis contra Manichæos evincit, bonas animas non agere naturali neceſſitate; quòd aliàs laudis nihil ac meriti ex opere bono conſequerentur: conſule §. proximè ſequentem.

Neque verò omittendum eſt, quod tradit Didacus Alvarez, Thomiſtarum hujus ætatis primipilus, Diſputat. 92. de Auxiliis num. 8. definitum videlicet eſſe à Conciliis Senonenſi & Tridentino (ſuprà citatis) contra Lutheranos; *Quod in inſtanti, in quo liberum arbitrium movetur à Deo efficaciter, manet in eo libertas, & expedita facultas, qua poteſt non operari, ſi velit.* Adeò Janſenius nihil præſidii ſperare à ſchola Thomiſtica poteſt.

6. Denique Summi Pontifices Pius V. & GREGORIUS XIII. damnarunt has Baii Propoſitiones.

Quod voluntariè fit, etſi neceſſariò fiat,

fiat, liberè tamen fit.

Item: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* 32

§. VII.

Diſſenſus Ianſenii à Divo Auguſtino.

1. D. AUGUSTINUS, libro 3. de Libero Arbitr. cap. 1. probans contra Manichæos, voluntatem noſtram non agere naturali neceſſitate: *Qui motus,* inquit, *ſi culpæ deputatur* .... *non eſt utique naturalis, ſed voluntarius.* Paulò poſt, id ex Confeſſione adverſarii ſubditur, in fine capitis: *Motus quo huc atque illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus, cùm ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cùm ad inferiora detorquet quaſi quendam cardinem voluntatis.* &c.

Poſſem id ipſum confirmare ex Tertulliano, adverſus Marcionem lib. 2. cap. 5. poſt med. & cap. 6. per totum:

 ubi

ubi inter alia · illud pulcherrimum: *Quaſi LIBRIPENS emancipati à Deo boni LIBERTAS & POTESTAS ARBITRII.* Et interjectis ſex verſibus concludit: *Tota ergo LIBERTAS ARBITRII IN VTRAMQVE PARTEM CONCESSA EST ILLI, ut ſui Dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando.* Mox. *Cæterùm NEC BONI, NEC MALI MERCES JVRE PENSARETVR EI, QVI AVT BONVS AVT MALVS NECESSITATE FVISSET INVENTVS, NON VOLVNTATE.*

Poſſem ex utroque Clemente, Romano & Alexandrino; ex SS. MM. Ignatio, Dionyſio, Juſtino, Irenæo, & Cypriano; aliiſque deinceps Patribus idem demonſtrare: niſi in unius authoritatem Auguſtini Janſenius juraſſet, à cujus tamen doctrina quantum aberret ipſe, porrò oſtendamus.

2. S. AUGUSTINUS lib. 2. de Natur.

& Grat. cont. Pelag. cap. 65. poſt med. ſententiam D. Hieronymi ſic approbat: *Nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin VBI NECESSITAS, NEC CORONA EST: Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat?* 35

3. Idem lib. de Duab. Animabus cont. Manich. cap. 11. ſub initium: *Neminem vituperatione ſuppliciôve dignum, qui aut id velit quod iuſtitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant. & in montibus Paſtores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacris locis, & in Orbe terrarum genus humanum?*

Igitur ad demerendum (illud eſt enim eſſe *dignum vituperatione ſuppliciôve*) requiritur libertas à neceſſitate ſeu libertas indeterminationis & indifferentiæ, ad agendum ſcilicet & non agendum: quod etiam neceſſe eſt ad *Coronam*, ſive ad merendum. Eodem ſpectat quod inculcat lib. 3. de Libero Arbitr.

Arbitr. cap. 1. circa med. *Si naturâ vel neceſsitate iſte motus exiſtit, culpabilis eſſe nullo pacto poteſt.* Adeoque nec demeriti reus.

4. Idem de Actis cum Felice Manichæo lib. 2. cap. 4. per totum: *Habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.* Et nonnullis interjectis: *Hoc ergo Dominus dicẽs, aut facite illud, aut facite illud,* (ſcilicet Matth. 12. AUT FACITE ARBOREM BONAM, &c. AUT FACITE ARBOREM MALAM, &c.) *oſtendit eſſe in poteſtate quod facerent: Et quia ſi bonum eligerent, præmium illius acciperent: ſi malum eligerent, pœnam illius ſentirent.*

Præmii acceptio ſequitur meritum, ſicut pœnæ ſenſus debitio ſuum demeritum: utrumque autem pendet ab electione voluntatis: quæ electio cùm circa unicum objectum eſſe non poſſit; non conſiſtet, ubi non eſt arbitrii libertas ad utrumlibet; quam neceſſitas, ſeu determinatio ad unum, penitùs tollit.

5. Idem

5. Idem de Liber. Arbitr. cap. 18. ſub initium: *Quæcumque iſta cauſſa eſt voluntatis, ſi ei non poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si autem poteſt, non ei cedatur, & non peccatur.* Pauciſque in eundem ſenſum interjectis: *Quis enim peccat*, inquit, *in eo quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem. Caveri igitur poteſt.*

Vides, ut operosè S. Doctor inculcat; ad peccandum (idem eſt, ad demerendum) requiri libertatem à neceſſitate.

6. Idem libro de Vera Religione cap. 14. poſt med. *Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus iuditabit*, (malim, ut plerique, *iudicavit*) *ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, SI NON VOLUNTATE, SED NECESSITATE SERVIRENT.*

Quæ autem eſſe poteſt liberalitas, adeoque libertas in ſerviendo, ubi eſt plena

plena neceſſitas?

7. Idem ibid. *Si neceſſitate id feciſſent, nullo peccati vinculo tenerentur.* Idem lib. 3. de Liber. Arbitr. cap. 1. 2. 3. ſemper opponit *neceſſitatem libertati.*

8. Idem lib. 2. contra Fauſtum: *Et nos ſub fato ſtellarum nullius hominis Geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè vel malè vivitur, propter iuſtum iudicium Dei, AB OMNI NECESSITATIS VINCVLO VINDICEMVS.*

9. Idem, lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo cap. 5. cùm retuliſſet verba Manichæi, de iis qui legem ſibi à Deo datam ſervare noluerunt, ſubdit Auguſtinus: *Vides in his verbis confirmatum eſſe, etiam à neſciente quid loqueretur, liberum arbitrium. Non enim dixit, non potuerint, ſed noluerint.*

10. Idem libro de Duabus Animabus cap. 12. longè poſt med. *Reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ.*

11. Idem denique lib. 5. de Civitate

Dei,

Dei, & libro de Spiritu & littera, cap. 34. definit, liberum eſſe; *Id quod eſt in noſtra poteſtate.* Ex quo ſic ratiocinari licet:

Omne liberum eſt in noſtra poteſtate;

Nullum neceſſarium eſt in noſtra poteſtate;

Nullum igitur neceſſarium eſt liberum: ac proinde nec ſufficiens ad merendum & demerendum.

Duo autem, ad poſtremum Auguſtini teſtimonium animadvertenda ſunt:

Primum, allatam liberi definitionem ita manifeſtè eſſe D. Auguſtini, ut etiam talem agnoſcat Janſenius libro 6. cap. 3. 4. 5.

Alterum, id Auguſtino cenſeri in noſtra eſſe poteſtate; *Quod ſi volumus, eſt; ſi nolumus, non eſt:* fatente etiam Janſenio, ſuprà cap. 4. & 5.

§. VIII. *Eno-*

§. VIII.

Enodatur difficultas quorundam verborum Divi Auguſtini.

Ne verò cuipiam ampliùs dubitatio ulla ſuperſit de mente D. Auguſtini, tot allatis jam teſtimoniis & perſpectâ, & Janſenio prorſus contrariâ; lubet unum ſcholæ Janſenianæ ſcrupulum excutere, qui objici poteſt ex Auguſtini libro 3. de Libero Arbitr. cap. 3. docentis: *Nihil tam eſt in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas.* Unde hæc ratiocinatio conficitur:

Omnis voluntas (ex Auguſtino) eſt in noſtra poteſtate:

Omnis volitio (eodem authore) eſt voluntas:

Igitur omnis volitio eſt in noſtra poteſtate.

Atqui aliqua volitio eſt neceſſaria; ergo aliquod neceſſarium (juxta mentem Auguſtini) eſt in libera voluntatis

poteſtate:

poteſtate: ac propterea neceſſarium & liberum non opponuntur; ſed ſolùm, neceſſarium & coactum.

Verùm iſti ratiocinationi reſpondendum eſt, negatione Minoris. Nam, apud D. Auguſtinum, *Voluntas*, accipi ſolet non pro motu omni voluntatis (ſeu, non pro omni volitione) ſed ſolùm & propriè pro motu voluntatis libero, ſive non-neceſſario.

Et quidem vel maximè in eo ipſo libro, unde propoſita objectio ab adverſariis deſumitur. Ubi, inter cætera, oſtendit motum illum quo voluntas avertitur à communi atque incommutabili bono, non eſſe naturalem: quia alioqui neceſſitate voluntas converteretur ad malum, &, per conſequens, non peccaret. *Neque enim*, inquit lib. 3. cap. 1. initio, ***ulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura neceſſitásque dominatur.***

Adeoque cùm per illum motum peccet voluntas, rectè colligit ejuſmodi motum & defectum eſſe voluntarium, atque in noſtra poſitum poteſtate.

Ex quo ſequitur, juxta Auguſtini ſententiam:

Primò, motum voluntatis naturalem (ſeu volitionem naturalem) opponi motui voluntario, & ei qui eſt in noſtrâ poteſtate.

Secundò, iſta ſibi item opponi, *Voluntate agere, & naturâ agere.* Quod manifeſtiùs tradit idem S. Doctor libro de Duabus Animabus cap. 12. longè poſt med. (quod item in libro 1. Retract. cap. 15. commemorat.) his verbis: *Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi Naturâ, non voluntate faciunt; id eſt, ſi libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent: ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.*

Ibi diſertè voluntatem ſimpliciter definit eſſe *Motum voluntatis liberum ad faciendum, vel non faciendum*: ſine quo neque peccatum, neque meritum poteſt ullum intelligi. Ideóque cap. 12. *voluntatem*, id eſt, agens voluntarium, à natura, ſeu agente naturali diſtinguit

per

per hanc ad faciendum, vel non faciendum indifferentiam. Videri etiam poteſt libro 15. de Trinit. cap. 20. & alibi. Non poſſum præterire duo pulcherrima ejuſdem S. Doctoris loca.

Primus eſt in libro de Gratia & Libero arbitrio ad Valentinum, ubi (quod ſuprà fecerat cap. 1. 2. 4.) demum cap. 8. oſtendit, liberum in nobis, etiam poſt peccatum, eſſe arbitrium; *Per quod non facere mala, & facere bona debere* nos ait.

Alter habetur lib. 22. contra Fauſtum, cap. 78. med. *Sive autem iniquitas, ſive iuſtitia, niſi eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate. Porrò ſi in poteſtate non eſſet, nullum præmium, nulla pœna iuſta eſſet: quod nemo ſapit, niſi qui deſipit.*

QUARTA PROPOSITIO.

§. I.

Quartæ Propoſitionis condemnatio.

„QUartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*: falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

§. II.

Explicatio quartæ Propoſitionis damnatæ.

Poſſem hujus Propoſitionis tres partes, ſaltem incomplexas aſſignare: & ex tribus illis capitibus falſam & meritò damnatam probabiliter demonſtrare. In hunc modum: prima pars; *Semipela-*

ani admittebant prævenientis gratiæ terioris neceſſitatem ad ſingulos actus. ecunda pars; *Etiam ad initium fidei.* ertia pars, ac potiſſima: *Et in hoc ant haretici, quòd vellent eam gra- am talem eſſe, cui poſſet humana vo- ıtas reſiſtere vel obtemperare.*

Et quidem qui eam inſiſtere viam llet, Primam Propoſitionis partem ex falſum eſſe facilè oſtenderet quòd nipelagiani non agnoſcerent gra- n interiorem quam D. Auguſtinus, omnes Catholici Doctores tradunt neceſſariam; & venire ſolet apud eologos, nomine prævenientis gra- interioris. Nam Semipelagiani iam Chriſti, quæ ad promoven- fidem requiritur (quam demum- ıque illam admitterent) in ſola ıtis illuſtratione ſitam eſſe vole- , ſinè ulla motione interna volun- , quam extrinſecùs tantùm affice- adeoque ſe habere per modum le- aut Doctoris denuntiantis, quid ndum ſit; non autem efficere in s ipſum charitatis ardorem & affe-

 ctum.

ctum. Eo autem omni, quod agendum eſt, per divinam illam gratiæ lucem, intelligentiæ humanæ patefacto, deinceps voluntatis ſuæ viribus, ac per ſe quemque niti, & vocationi Dei obtemperare, vel ab ea, pro libitu, deſciſcere. Quòd nimirum per originale peccatum, naturalis in homine libertas imminuta non fuerit; ſed ad bonum ſuopte etiam nutu propendeat:

Naturæ quoniam non ſit detracta facultas,

ait S. Proſper, (Semipelagianorum nomine) in carmine de Ingratis: ubi contra hoc Semipelagianorum dogma fusè diſputat. Ipſeque, ac D. Auguſtinus præter iſtam gratiam merè illuminantem, quæque mentem ſolam & intelligentiam afficit; aliam item requirunt, quæ voluntatem ipſam, ac liberum arbitrium, ſine libertatis læſione, attingat; cumque eo & in eo fidem, ac dilectionem efficiat.

Ita ut non tantùm menti noſtræ lucem præferat, quæ, quid faciendum ſit, oſtendat; ſed etiam ut faciamus ac

velimus,

velimus, efficiat. *Et in hoc dicerentur hæretici Semipelagiani.* Quibuſcum nulli è Doctoribus Catholicis conſentiunt. Qui enim, ex his, gratiam Chriſti, ſola mentis, ſive intellectûs illuminatione definiunt, negántque eam quæ in permotione voluntatis liberæ ſita eſt (etſi aliàs utilem) abſolutè tamen neceſſariam videri; hi, inquam, à Semi-pelagianis ex eo plurimùm diſtant, quòd ab iſta luce, ac mentis illuminatione, redundare aliquid in voluntatem aſſerunt. Vide Petavium Tom. 3. Dogmat. Theolog. libro ſingulari de Pelag. & Semipelag. hæreſi, cap. x. num. XII. Item cap. VII. & VIII.

Verùm cùm adhuc inter doctores Catholicos cõtrovertatur, an Semipelagiani nõ admiſerint verã interiorẽ gratiam ad progreſſum in bonis operibus, videri quibuſdam poſſit hinc peti non poſſe certum ſatis ac ſolidum fundamentum Pontificiæ definitionis.

Ideò duas tãtùm in partes dividemus damnatam Propoſitionem, quarum prima pars etiam illa verba complectatur,

Etiam ad initium fidei. Et hoc modo primam partem ex eo damnatam & falſam eſſe contendo, quòd certum ſit Semi-pelagianos non admiſiſſe interioris gratiæ neceſſitatem *Ad initium fidei.*

Etenim Semipelagiani aſſerebant, initium aliquod juſtitiæ ac ſalutis eſſe à nobis, nimirum fidem, ac voluntatem quampiam ſalutis obtinendæ, ſeu *Voluntariam dilectionem* (ut loquitur eorum nomine S. Proſper, Epiſtolâ ad D. Auguſtinum, præfixâ libro de Prædeſtinatione Sanctorum) ſive *Credendi voluntatem*, vel fidem initialem, ſeu ſanitatis, ac Medici deſiderium; (ut Hilarius indicat, in Epiſt. ſequenti, ibid.) hæc, inquam, antecedere dicebant, & à nobis conferri. Atque *in hoc erant hæretici.*

Altera pars damnatæ Propoſitionis falſa eſt; quòd comminiſcatur, Semipelagianos hæreſis inſimulatos fuiſſe, propter dogma prorſus orthodoxum, in omnibus ſeu Thomiſtarum, ſive aliorum Catholicorum Academiis

toto

toto Orbe terrarum, ab omni retrò memoria receptum, in Scripturis ſanctis, in Conciliis œcumenicis, in SS. Patribus teſtatiſſimum: cui refragari ſolus, cum Hæreticis, Janſenius nuper auſus fuit.

§. III.

Conſenſus Ianſenianæ doctrinæ cum quarta Propoſitione damnata.

Priores duas Partes Propoſitionis hujus ſæpè tradit Janſenius: prolixiùs eſſet, neque admodum utile, ſingulas cum verbis Janſenii committere. Unum teſtimonium abundè erit Tom. 1. de Hæreſi Pelagiana, lib. 8. colum. 455. ubi ſic inſcribit caput 6. *Tertia gratia generalis Maſſilienſium eſt actualis, interna, & ſufficiens ad credendum, non ad operandum. latè ex principiis Auguſtini, & Maſſilienſium aſtruitur: aliqua de natura eius.*

Tertia igitur pars, quam potiſſimùm

 petit

petit Pontificia condemnatio, ſæpiſſimè in Tomo 3. inculcatur ab eodem Janſenio.

1. *Gratia ſufficiens à Semipelagianis ortum habet, & inde in Catholicorum ſcholas tranſlata eſt.* Tom.3.lib.3.cap.12. col. 323. Item ibid. cap. 2. colum 254. in fine.

2. *Tale adiutorium, eſt adiutorium quod Maſſilienſes* (Semipelagiani) *ad credendum neceſſarium eſſe, atque ita ſufficere ſtatuebant, ut cum eo credere poſſet homo, ſi vellet, qui tamen tanquam hæretici proſcripti ſunt: non aliã ſanè ob cauſſam, niſi quia tale auxilium homini ſufficere putabant.* Tom.3. lib. 3. cap. 1. col. 252. ſub initium.

3. *Quapropter quiſquis iam alia divinæ gratiæ adiutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deſerant, ſi velint, & in quibus permaneant ſi velint, cum quibus tanquam ſufficientibus operentur ſi velint, nihil aliud imprudens facit, niſi ut originalis peccati virus evacuet, illaſas liberi arbitrii vires eſſe, Chriſtum fruſtra veniſſe, &* gratis

gratis mortuum eſſe perſuadeat. Tom. 3. lib. 2. cap. 27. col. 212.

4. *Quanta igitur audacia, poſt condemnatos iam à tot ſæculis Maſſilienſes, aſſerere, quòd, quia in ſtatu innocentiæ ſufficiebat homini ad ſalutem gratia, qua poterat perſeverare ſi vellet, etiam nunc ſufficiat?* Ibid. cap. 28. col. 215.

5. Et paulò antè, agens de eodem genere gratiæ, cui reſiſtere vel obtemperare poſſimus: *Hoc*, inquit, *& à Maſſilienſibus olim factitatum eſt, nam & ipſi moleſtè tulerunt illam utriuſque gratiæ differentiam*, (nimirum gratiæ *ſanitatis* pro ſtatu naturæ integræ, quæ gratia relinqueret arbitrii libertatem; & gratiæ *medicinalis*, poſt lapſum, quæ neceſſitatem arbitrio adferret) *libentiſsiméque pro ſtatu lapſorum hominum, illud gratiæ genus amplexi ſunt, cùm quo poſſent credere, ſi vellent.* Ibidem col. 214. 215. Vide etiam ibid. cap. 12.

Item lib. 2. de Grat. Salvat. cap. 25. col. 206. & alibi.

§. IV. *Con-*

§. IV.

Conſenſus Hæreticorum cum Ianſenio.

1. CALVINUS, lib. 3. Inſtit. cap. 3. §. 10. & lib. 2. cap. 3. §. 10. & cap. 2. §. 10. initio: Item in Antidoto Tridentini ad ſeſſ. 6. ſub initium, & ibid. in canon. 4. alibique ſæpiſſimè pugnat, Catholicos DD. hallucinari; quòd talem admittant gratiam, *Cui obſequi, vel repellere liberum ſit.*

2. Calviniſtæ Beza, Grinæus, Kimedoncius (apud Paulum de Windeck, libro De Efficacia mortis Chriſti pag. 155.) contendunt doctrinam Catholicam de gratia, cui reſiſtere vel obtemperare liberum ſit, *Ex fæcibus Scholaſticorum hauſtam eſſe; & Pelagianiſmum redolere.*

Quam cenſuram DD. Catholicis Janſenius ferè ubique ad nauſeam impingit.

3. Calviniana Synodus Dordracena unam ferè gratiam talem (cui reſiſtere

vel obtemperare liberum ſit) ſuis omnibus Decretis petit; & ſententiam ei faventem damnat, ut *Pelagianam*, *Papiſticam*, *Hareticam*. vide pag. 165. 310. 710. 745.

PETRUS DU MOULIN ad iſtam Synodum ſcribens, repudiat tale genus gratiæ, ut habetur in actis ejuſdem Synodi pag. 395.

Et quidem iſti Conciliabulo ita in multis conſentit Janſenii Auguſtinus Iprenſis; ut inſignis quidam Calviniſta nuper dixerit Antonio Ricardo, Spiſſum opus Cornelii Janſenii ſic meritò inſcribendum eſſe: *COMMENTARII QVIBVS DORDRACENÆ SYNODI SENTENTIA ILLVSTRATVR, CONFIRMATVR, PROBATVR*. Ita ipſe Ricardus teſtatur Diſput. de Liber. Arbitr. lib. 1. cap. 1. ſect. 3. §. 2. extremo. edit. 2.

Obſervandum eſt autem, illud Auguſtini teſtimonium frequentiſſimè à Janſenianis decantatum in hac materia, ſæpiùs etiam à Calvino in eundem ſenſum uſurpari: nominatim verò lib. 2. Inſtit.

Inſtit. cap. 3. num. 10. & accuratiùs libro de Æterna Dei prædeſtinatione, Tom. Tract. Theologic. pag. 696. ubi etiam alios Auguſtini locos, ſimiliter à Janſenianis celebratos objicit Catholicis; ſed hæretica interpretatione acceptos.

4. Non abludit PETRUS MARTYR, qui in locis communibus, titulo de Prædeſtinatione, num. 38. paucis perſtringit argumenta omnia, quibus Janſeniana ſchola tale adjutorium gratiæ proſcribit.

Idem Pſeudo-Martyr, ibidem, titulo de Gratia Dei, num. 12. *Recentiores Theologi vel Sophiſtæ* (ita Catholicos indigitat) *ne prorſus videantur cum Pelagio convenire ita ſtatuunt; gratiam quidem primò accedere: ſed noſtrum eſſe eam aut recipere, aut reſpuere.*

5. ZANCHIUS, Tract. Theolog. lib. 1. cap. 6. Theſi 7. pag. 131. *Noſtri Semipelagiani* (intelligit Catholicos) *ſtatuunt ita offerri voluntati gratiam, ut voluntas ſit libera ad illam amplectendam, vel reſpuendam.*

6. HUBER-

6. HUBERTUS STURNIUS, libro de Prædeſtinat. *Pelagiani ac Semipelagiani* (nimirum Pontificii Doctores) *noſtri dicunt, Gratiam Dei omnibus offerri, ac in arbitrio hominis eſſe ſitum, oblatam vel acceptare, vel repudiare.*

7. Verbo uno; ſingula argumenta; quibus Janſenius gratiam illam (cui reſiſtere, vel obtemperare poſſumus) impugnat; Calvinus, ejusque ſectarii, contra Catholicos uſurpant. *Primum* quidem, uſurpat Calvin. in Antidoto Tridentini, pag. 278. & lib. 2. Inſtit. cap. 3. num. 10. *Secundum*, idem in locis, lib. 5. in Pigh. pag. 264. Item, Robertus Saliſburienſis; David Pareus lib. 1. de Gratia, & Libero arbitr. cap. 2. pag. 45. Theodorus Beza, Adverſus Caſtellionem pag. 457. *Tertium*, Calvinus libro 3. in Pigh. pag. 172. Item Pareus. *Quartum*, Petrus Martyr, in locis communibus de Prædeſtinat. num. 38. Item acta Synodi Dordracenæ pag. 315. *Quintum*, partim Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 3. num. 9.

Partim

Partim Pareus lib. 2. de Libero Arbitr. cap. 2. pag. 292.

8. Denique nominatiſſimæ illi Catholicorum omnium opinioni, de Gratia, cui poſſit voluntas reſiſtere vel obtemperare, notam Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi impingere conantur, præter citatos, etiam Calvinus lib. 3. in Pigh. pag. 188. Petrus Martyr lib. 1. locor. commun. titulo, de Libero Arbitrio. Melancthon in Apologia pro Luthero contra Sorbon.

§. V.

Diſſenſus Ianſenii à ſacris Scripturis.

1. Iterum, ac tertiò urget illud Deuteronomii 30. à verſu 11. ad 20. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum: ſed iuxta te eſt ſermo valdè, in ore tuo, & corde tuo, ut facias illum............ ....conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, &*

& è contrario mortem & malum: ut diligas Dominum Deum tuum: .... Elige ergò vitam, ut & tu vivas.

Hanc Dei ad homines exhortationem neceſſe eſt inutilem, vel illuſoriam eſſe, in ſententia Janſenii.

Inutilis eſt ei qui habet gratiam efficacem Janſeniſticam, cui neceſſariò & ineluctabiliter obtemperabit, abſque iſta exhortatione; Sicuti quando adeſt in animo juſtitia (ita de aliis cauſſis formalibus) fruſtra adhibetur exhortatio, ut fiat juſtus animus. Eſt ipſa Janſenii comparatio, ſuprà citata, Propoſ. 2. §. 2. num. 2. extrem.

Illuſoria autem eſt, niſi homo habeat gratiam paratam; qua, urgente mandato, (cùm pro libera voluntate placuerit) proximè expeditus poſſit eligere, & mandatum reipſa explere; hæc autem gratia eſt illa, cui cùm humana voluntas poſſit obtemperare; quia tamen Dei mandatum negligendo, nimis ſæpè non obtemperat; manifeſtum eſt, reſiſtere illi poſſe.

2. JOSUE 24. 15. *Servite Domino,*

Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis, OPTIO VOBIS DATVR: ELIGITE HODIE QVOD PLACET, CVI SERVIRE POTISSIMVM DEBEATIS.

Ut homo è duobus ſervitiis, Dei & diaboli, utrumlibet proximè expeditus eligere poſſit, neceſſarium illi eſt (ſi Dei ſervitium, ut oportet ad vitam æternam, eligere velit) auxilium gratiæ interioris, & quidem talis, cui poſſit ejus voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Qua enim ratione optio & electio ſtare poſſit cum gratia Janſeniſtica, quæ neceſſitatem affert voluntati, ut hoc determinatè, non verò aliud eligat?

3. ECCLESIASTICI 15. v. 17. & 18. Deus *Appoſuit tibi aquam & ignem:* AD QVOD VOLVERIS, PORRIGE MANVM TVAM: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.*

CALVINUS ſentiens hunc locum tam adverſum efficaci ſuæ gratiæ, (quæ ipſi, ſicut Janſenio, & irreſiſtibilis & neceſſi-

tans erat), quàm faventem, ſufficienti, & ei gratiæ, cui voluntas reſiſtere, vel obtemperare poteſt; ſtatim occurrit, hac exceptione; nimirum, iſtum Eccleſiaſtici locum accipiendum eſſe, de ſolo primo homine & ejus ſtatu naturæ integræ; non autem de aliis, poſt lapſum, in ſtatu naturæ corruptæ. Volebat enim Calvinus (conſentiente poſtmodum pluribus locis Janſenio) ejuſmodi adjutorium gratiæ, permittentis humano arbitrio libertatem ad utrumlibet, circumſcriptum jam olim fuiſſe limitibus naturæ integræ. Verùm ex contextu Eccleſiaſtici noſtri, patet falſitas frigidæ iſtius interpretationis Calvinianæ.

4. ISAIÆ 5. v. 4. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? AN QUOD EXPECTAVI UT FACERET UVAS, ET FECIT LABRUSCAS?*

Si Deus myſticæ iſti vineæ nullam dedit gratiam, imprudenter expectavit, ut ſolis naturæ viribus faceret uvas bonorum virtutis operum; & ſine cauſſa querelas

querelas & minas intentat facienti quidquid viribus naturæ poteſt; nimirum labruſcas.

Sin autem indubitatum eſt, dediſſe gratiam; non potuit dediſſe efficacem iſti vineæ quæ produxit labruſcas: (efficax enim gratia, apud Janſenium, neceſſitat ad bonum opus) dederit igitur talem gratiam, cui poterat humanæ voluntatis vinea obtemperare, (uvas virtutum faciendo) vel reſiſtere; ut reapſe contigit, dum labruſcas progerminavit.

Vide autem hujus loci ineptam omninò expoſitionem, ad quam redigitur Janſenius Tom. 3. lib. 3. de Gratia Chriſti Salvator. cap. 18. colum. 361.

5. Huc etiam ſpectant Scripturæ illæ omnes, quibus Deus quoſlibet peccatores ad converſionem & pœnitentiam hortatur ac invitat; quibus exprobrat eam non peractam; quibus proinde varias pœnas meritò intentat.

§. VI. *Diſ-*

51

§. VI.

Diſſenſus ejuſdem à Conciliis.

1. CONCILIUM VALENTINUM III. contra Prædeſtinatianos hæreticos celebratum, ſub LEONE IV. Papa, & Lothario Imperat. Anno 855. Aſſerit canone 2. extremo: *Credimus . . . . . nec ipſos malos ideo perire, QVIA BONI ESSE NON POTVERVNT, SED QVIA BONI ESSE NOLVERVNT, SVOQVE VITIO IN MASSA DAMNATIONIS* &c. *PERMANSERVNT.*

2. LATERANENSE, ſub Innocentio Papa III. Anno Chriſti 1215. capit. 1. *firmiter*, in fine: *Si poſt ſuſceptionem baptiſmi, quiſpiam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam SEMPER POTEST REPARARI.* Si utique reparari voluerit; quod ſemper homo & velle poteſt, & præſtare per gratiam divinitùs oblatam, cui pro libera voluntate aut reſiſtit, aut obtemperat.

3. SENONENSE, ſub Clemente VII. Anno 1528. Decreto 15. poſt medium: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præiudicat arbitrio; cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet: CVI SI QVIS APERVERIT, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. NEC DENIQVE TALE SIT HVIVSMODI TRAHENTIS DEI AVXILIVM, CVI RESISTI NON POSSIT.*

Si aperire poteſt januam; ergo, quæ offertur gratia, talis eſt, cui humana voluntas obtemperare poſſit: rurſus, ſi claudere poteſt januam; ergo & pulſanti reſiſtere, & ejus vocationem abjicere poteſt.

Item, ſemper in promptu eſt gratia; pro certo non efficax, quoties non aperitur janua; igitur de genere illarum, quibus (quidquid reclamet Janſenius) reſiſti omnino poteſt.

4. TRIDENTINUM ſeſſ. 6. cap. 11: *Deus impoſſibilia non iubet; ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod*

quod non poſſis; & adiuvat, ut poſſis, cuius mandata gravia non ſunt. .... *Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum,* .... *ſervant ſermones eius. Quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt.* Et poſt pauca: *Quo fit, ut iuſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in viis iuſtitiæ ſentire debeant, quò liberati iam à peccato* .... *ſobriè, iuſtè & piè viventes PROFICERE POSSINT PER CHRISTUM JESUM.* .... *DEUS NAMQUE SUA GRATIA SEMEL JUSTIFICATOS NON DESERIT, NISI AB EIS PRIUS DESERATUR.*

Si homini juſtificato gratia (ſaltem talis, cui vel obtemperare poſſit, vel reſiſtere) divinitùs non offeratur; quomodo ſuperatis vitæ difficultatibus proficere poteſt? Sin autem peccat, gratiæ iſtiuſmodi defectu, quomodo juſtificatum non deſerit Deus?

5. Idem Trident. eadem ſeſſione, cap. 13. *IN DEI AUXILIO*

 FIR-

FIRMISSIMAM SPEM COLLOCARE, ET REPONERE OMNES DEBENT. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum; ita perficiet, operans velle, & perficere.

Cùm autem apud Chriſtianos omnes certum ſit, non dari omnibus gratiam efficacem; & (ex Janſenii doctrina, §. 3. citata) Semipelagianum & hæreticum ſit, aſſerere dari ſeu ſufficientem, ſeu *talem cui poſſit humana voluntas reſiſtere vel obtemperare* : quis non videt vanam fore ſpem illam firmiſſimam, ad quam Chriſtiani omnes Tridentini oraculo excitamur?

6. Idem ſeſſ. 6. canon. 22. *Si quis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe; vel cum ea non poſſe; anathema ſit.*

Habet igitur juſtificatus gratiam ſufficientem, ut in accepta juſtitia perſeveret : & cùm plures juſtificati non perſeverent, (habentes tamen ſufficientis gratiæ adjutorium) ſed Deum deſe-

rant, & acceptam priùs juſtitiam; dici non poſſunt habuiſſe gratiam efficacem, quæ demum ad opus perſeverantiæ perduceret; quòd ipſi gratiæ, ſuâ culpâ, reſtiterint.

7. Idem docet Trident. canon. 29. vide etiam quæ ſuprà in Propoſit. 2. citata ſunt, ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. Item, quod ex Arauſicano II. canon. 25. in prima Propoſit.

8. Denique clarè & fusè Enchiridion Concilii Colonienſis, ſub PAULO Papa III. Anno Chriſti 1536. Parte 7. cap. 32. & alibi. Vide Tomi 4. Conciliorum partem 2.

§. VII.

Diſſenſus Ianſenii à SS. Patribus, præſertim Auguſtino.

1. HIERONYMUS in Pſalm. 140. v. 4. Tom. 7. *O infeliciſſimum humanum genus, qui peccata excuſamus, dicentes: Victus ſum à natura; cùm in poteſtate noſtra ſit & peccare, & Domino adiuvante non peccare.*

 Eadem

Eadem eſt reliquorum SS. PP. ſententia, jam inde à Clemente Romano, per ſingulas deinceps ætates, uſque ad D. Bernardum: ut ex Coccio, Bellarmino, aliiſque luculentioribus controverſiarum ſcriptoribus promptum eſt cuilibet colligere. Attamen in gratiam Janſenianæ ſcholæ, unus omnium nomine loquatur.

2. AUGUSTINUS in Pſal. 63. in fine: *Nunquid conſilii corrigendi & mutandæ vitæ malæ in bonam, non eſt locus, non eſt tempus? Nonne ſi vis hodie fit? Nonne ſi vis modò, fit? Quid empturus es, ut facias? Ad quos Indos navigaturus? Ecce dum loquor, muta cor, & factum eſt, quod tam ſæpè & tamdiu clamatur, ut fiat, & quod æternam pœnam parturit, ſi non fiat.*

3. Idem, de Correptione & Gratia cap. 7. ſub initium: *Juſtior videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm dicentium, non accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt dici homini, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles.*

4. Idem

4. Idem lib. de Grat. & Liber. Arbitr. cap. 2. med. *Si volueris, conſervabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam; ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conſpectu vita & mors; & quodcumque placuerit, dabitur ei. Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Tum adductis plurimis è Scriptura teſtimoniis, clarè ſignificantibus expeditam hominis facultatem ad utrumlibet, ſic concludit: *Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo; ſed ſibi imputet quiſque cùm peccat. Neque cùm aliquid ſecundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate.*

5. Idem lib. 2. de Peccator. meritis cap. 17. initio: *Cùm voluntate humana, gratia adiuvante divina, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe: cur non ſit; poſſem facilè ac veriſſimè reſpondere: Quia Homines nolunt.*

Quòd nimirum reſiſtant oblatæ gratiæ, qui poſſent facilè obtemperare, ſi vellent.

6. Idem (vel potiùs Fulgentius) libro de Prædeſtinat. & Gratia cap. 15. ſub finem, & habetur C. Nabuchodonoſor 23. q. 4. Cauſſam cur Pharao induratus ſit flagellationibus divinis, non item Nabuchodonoſor; refert in id quòd unius voluntas reſtiterit gratiæ vocanti, alterius verò eidem obtemperarit. *Quid ergo*, inquit, *fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quòd unius manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: Alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio*. Et clariùs ibidem cap. 9. initio: *Ita inter ſe atque homines Deus tempora officiáque diſtribuens ordinavit, ut vocatione ipſius bonorum principia ſumeremus, vocati autem atque illuminati, vias mandatorum eius boni ingenii intelligentia noſceremus, & eas libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.*

7. Idem Enchiridii cap. 95. med. In illud Matthæi cap. 11. v. 21. *Væ tibi Corozain*, &c. *nec utique Deus iniuſtè noluit ſalvos fieri; cùm poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent.*

8. Idem

8. Idem, de Gratia & liber. arbitr. cap. 15. in fine: *Quid prodeſt, ſi quod poſſumus, nolumus?* Poſſumus ergo obtemperare gratiæ, cui reſiſtimus.

9. Idem, lib. 12. De Civitate Dei cap. 6. docet, è duobus æqualiter diſpoſitis & tentatis (ad pulchritudinem v. c. mulieris concupiſcendam) unum conſentire tentationi, alium eidem reſiſtere, neque aliam diverſitatis cauſſam eſſe quærendam; *Niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere*: illum quidem gratiæ reſiſtendo; hunc verò eidem obtemperando. Moxque ſubdit: *Unde, niſi propria voluntate: ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio?* &c.

Eandem in ſententiam loquitur ſerm. 47. de Sanctis. Libro 1. Retractat. cap. 22. Libro 83. qq. quæſt. 68. Libro de Geneſi contra Manich. cap. 3.

Quid ad hæc, cum ſua ſchola, Janſenius? Hæreticúmne fuiſſe D. Auguſtinum; quem (eſi refugientem) haberi vult, in hac materia, regulam veritatis, fidei

fidei canonem? An potiùs audita Summi Paſtoris voce, errare deſinens, fatebitur; immeritò damnatam abs ſe hæreſeos fuiſſe ſententiam, exploratiſſimam tanti Doctoris, totiusque Eccleſiæ Catholicæ, clarè denuntiantium; oblatam hominibus *Gratiam talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare?* Et quidem (ut patet ex dictis) poſſit proximè expeditâ ad utrumlibet poteſtate.

10. Idem, de Prædeſtinat. Sanctor. libro 1. cap. 5. in fine: *Quid autem habes quod non accepiſti? Quiſquis audet dicere, habeo ex meipſo fidem, non ergo accepi: profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati: non quia credere vel non credere, non eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in Electis præparatur voluntas à Domino.* Porrò per gratiam præparantem poſitum eſt in arbitrio credere, vel non credere. Igitur illâ poſitâ jam credere vel non credere, eſt in arbitrio voluntatis proximæ expeditæ.

11. Idem lib. 50. Homiliar. Hom. 16.

ſub

ſub initium: *In tuo arbitrio Deus poſuit cui pares locum, Deo, an diabolo.*

12. Idem de Spiritu & littera cap. 34. med. *Nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Vide ibidem cap. 31. & lib. 2. de Actis cum Felice Manich. cap. 3. 4. 5.

QUINTA

QUINTA PROPOSITIO.

§. I.

Quintæ Propoſitionis condemnatio.

,QUintam: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* falſam, temerariam, ,ſcandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ,ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit; impiam, ,blaſphemam, contumelioſam, divinæ ,pietati derogantem, & hæreticam de-,claramus, & uti talem damnamus.

§. II.

Conſenſus Ianſenii cum quinta Propoſitione damnata.

1. *Argumentum pro gratia ſufficiente omnium, ſumptum ex eo quòd Chriſtus ſit redemptor omnium, & pro omnibus crucifixus, & mortuus, uſque ad nau-*

ſeam

ſeam à PELAGIANIS, PRÆSERTIMQVE MASSILIENSIBVS inculcatum fuit: ut mirum ſit Recentiores tanto ſtudio, trita hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere. Tom. 3. colum. 379. & 380. ſub initium capitis 21.

2. *Nullo modo principiis Auguſtini conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iuſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur.... .... Ex quo factum eſt, ut iuxta ſanctiſſimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit. Sed ſi quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam iuſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fudítque ſanguinem ſuum.* Tom. 3. de Grat. Salvat. lib. 3. cap. 21. colum. 390. extrema.

3. *Nec enim iuxta doctrinam antiquorum* (ſuprà citatorum, videlicet

S. Auguſtini, Concilii Valentini, S. Remigii Archiep. cum ſua Eccleſia Lugdun.) *pro omnibus omnino Chriſtus paſſus aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit, cùm hoc potiùs tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.* Eodem cap.21.colum.386. ante med.

4. *Proderit illi neceſſariò Chriſti Sanguis, & mors, pro quo ſanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit: & cui nullo modo prodeſt, pro illo, nec ſanguinem fudit, nec mortuus fuit.* Tom. 3. lib. 3. cap. 21. colum. 387. ante med.

5. *Pro iſtis* (quos antè 7. verſu *abſolutè prædeſtinatos, Electos & Salvandos* nominavit) *in æternum vivificandis mortuus eſt; pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum, non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes, in iniquitate moriuntur.* Ibid. columna 386. poſt. med.

§. III. *Con-*

58

§. III.

Conſenſus Hæreticorum cum doctrina iſta Ianſenii.

Expoſitio, quam Janſenius (Tom. 3. ſuprà, colum. 381) adhibet ad illud quod Scripturæ dicunt, Chriſtum omnium eſſe Redemptorem; (nimirum ſufficienter tantùm, quo pacto etiam pro dæmonibus, inquit columna 382, ſe dediſſe redemptionem dici poſſet, aut pro omni genere hominum tantùm) petita eſt ex hæreticis hujus ætatis. Ut potiùs mirum videri Catholicis debeat, Cornelium Janſenium Epiſcopum, ſectariorum armis, non jam obſoletis; ſed etiamnum recenter ab incude Gebennenſi candentibus, ſe accingere voluiſſe.

Id ipſum Janſenianis jam inde ab Anno Chriſti 1641. in diſputationibus publicis Lovanii & verbo & ſcripto improperatum fuit, ac deinde Anno 1645. ab Antonio Ricardo Diſput. de libero arbitrio lib. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 3. ubi

collatis exemplis demonſtrat, argumenta omnia, quibus Janſenius contendit, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortem ſubiiſſe, ex meris Calviniſtis eſſe tranſcripta.

Unum parallelum erit inſtar omnium.

Janſenius Tom. 3. lib. 3. cap. 21. dicit: *Quod Chriſtus ſit Redemptor omnium, & pro omnibus crucifixus, & mortuus; uſque ad nauſeam à Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus, inculcatum fuit.*

Eodem modo Calviniſtarum Rabini in Synodo Dordracena, pag. 3. ubi hunc Remonſtrantium Articulum: *Chriſtus pro omnibus & ſingulis mortuus eſt:* his verbis refellere conantur; *Rem non novam agunt Remonſtrantes hoc articulo. Olim enim Semipelagiani, Maſſiliæ, & Syracuſis, eundem tuebantur.* Quæ deinde repetunt pag. 354. Num. 6.

Boquinus, Pincerius, & Clebitius (apud Coccium, Theſauri Catholici Tom. 1. lib. 2. art. 7.) docent, *Chriſtum non eſſe pro omnibus omnium hominum*

peccati

peccatis crucifixum & mortuum; ſed tantùm pro fidelibus & piis.

BEZA in Theſibus de ſacrificio (apud Malderum; in Anti-ſynodicis cap. 7.) ait: *Coram Deo, & tota Eccleſia teſtamur figmentum illud inauditum, & dilutum: Chriſtum videlicet non minùs pro impiis, quàm pro fidelibus eſſe mortuum.*

HIERONYMUS ZANCHIUS in Miſcellan. doctrina, ad 1. Joannis 4. *Sanguis Chriſti non eſt ſecundùm propoſitum Dei, & reipſa pro reprobis, & incredulis effuſus; ſed tantùm pro quibuſdam multis, hoc eſt, electis.*

Eodem prorſus modo loquuntur Beza in Actis colloquii Bermenſis pag. 222. Kimedoncius, in Synopſi de Redemptione pag. 89. Et Grinæus Tom. 4. Problemat. pag. 371.

CONTRA-REMONSTRANTES, in Specimine Amſtelrodamenſi, Artic. 4. *Chriſtus non eſt tamen ipſe ſecundùm conſilium, mandatum, & commiſſionem ſui Patris mortuus pro omnibus; .... ſed pro ſolis Electis.* Ibidem

Art. 44. idem confirmatur.

BENEDICTUS ARETIUS Parte 2. Problemat. fol. 868. negat, *Chriſtum eſſe deſperantium, & damnatorum ſalvatorem.*

MOLINÆUS in ſua Anatom. cap. 28. negat Chriſtum oraſſe pro omnibus crucifigentibus; eos verò qui ſuæ adverſantur iſti doctrinæ, vocat, *Pontificios.*

SAMUEL MARESIUS in ſua Synopſi cap. 4. impensè laudat Catechiſtam Janſenii, quòd aſſerat, *Chriſtum non eſſe mortuum pro iis qui pereunt.* Quod vehementer inculcat cap. 6. pag. 100. 102. 106.

Idem, Magiſter iſtorum omnium, priùs docuerat Joan. Calvinus in 1. Joan. 2. v. 2. Et in caput 17. Joannis.

Quæ verò Auguſtini teſtimonia, pro ſe hîc citant Janſeniani, omnia ex Calviniſtis deſcripta eſſe manifeſtum evadet, ſi utrimque committantur.

§. IV. *Diſ-*

§. IV.

Diſſenſus Ianſenii à Scripturis ſacris.

1. Ad Roman 5. v. 18. & 19. *Sicut per uniùs delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem, iuſti conſtituentur multi.*

Tota vis Paulinæ hujus antitheſis eò ſpectat, ut probet, ſic juſtitiam (id eſt, meritum) Chriſti, omnibus omninò hominibus impenſam fuiſſe, ſicut Adæ peccatum omnibus omninò obfuit. Unam (non repugnante Tridentino) eximiam cenſemus *Deiparam Virginem*, avitæ labis immunem: neque Janſeniani ſuum Magiſtrum patiuntur argui, *Quaſi de immaculata Virginis conceptione ſequiùs aliquid ſentiret, contra nupera decreta Pontificum.* vide Querimon. Jacob. Zegers pag. 57.

2. 1. ad Corinth. 8. v. 11. *Peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.*

Ex hoc loco ſic ratiocinatur Malderus, in Anti-ſynodicis cap. 7. Nullus Electus perit: aliquis, propter quem mortuus eſt Chriſtus, perit: ergo aliquis propter quem mortuus eſt Chriſtus, non eſt Electus.

3. Ad Galat. 2. v. 20. *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*; ſcilicet redimendo, & ſalute æterna donando. Attamen hic idem Apoſtolus iſtius redemptionis ſuæ conſcius, anteà conceptis verbis ſcripſerat 1. ad Corinth. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Quomodo igitur verum eſt, quod Janſenius ſuprà docet §. 2. Num. 2.

4. 1. ad Timoth. 2. v. 1. & 5. *Obſecro igitur primùm, omnium fieri obſecrationes, orationes, gratiarum actiones pro univerſis hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt.........*

Unus

Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominũ homo Chriſtus JESUS: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.

Ratiocinatio Apoſtoli hæc eſt: ideò pro omnibus, etiam infidelibus (ex quibus erant Reges omnes, & alii in ſublimitate conſtituti) orandum eſt; quia unus eſt omnium Deus, & unus omnium Mediator; nec plurium Deus, quàm Mediator: quippe *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* omninò, etiam infidelibus, Regibus, & aliis in ſublimitate conſtitutis, &c. Conſtat autem ex Hiſtoricis ſacris & profanis, eo tempore, Neronem Imperatorem fuiſſe; Parthos, ac Medos Reges ſuos habuiſſe; & vectigales Romanis Provincias, ab infidelibus, ſumma poteſtate adminiſtratas fuiſſe: & pro illis tamen jubet Apoſtolus fundi preces ad Deum: quòd pro illis mortuus ſit Chriſtus.

Si verò, ex mente Janſenii, *Chriſtus pro iis tantùm mortuus eſt, qui ſalvantur*; futilis eſt omninò Doctoris gen-

tium ratiocinatio: ac neceſſe eſt, in ſchola Janſeniana, Catalogo Sanctorum adſcribi Neronem, Veſpaſianum, Titum, Galbam, Othonem, Agrippam, Felicem, & alios, in ſua infidelitate mortuos: iſtis enim tacitè ſignificabat Apoſtolus, monens orandum *pro Regibus, & iis qui in ſublimitate ſunt*, pro quibus Chriſtus *dedit redemptionem ſemetipſum.* Aut certè concedendum erit, Chriſtum mortuum fuiſſe, & dediſſe redemptionem ſemetipſum pro iis qui non ſalvantur; ſed in ſua perpetua infidelitate (cujuſmodi fuêre Magnates commemorati) moriuntur.

5. I. ad Timoth. 4. v. 10. *QUI EST SALVATOR OMNIUM HOMINUM, maximè fidelium.*

Si maximè, ſeu præcipuè fidelium, certè etiam infidelium; pro quibus item redimendis mortuus eſt; non ſolùm quoad ſufficientiam pretii, quod omnibus poſſet applicari; ſed ex ſincera voluntate: ut omnibus (quantùm quidem per ipſum ſtaret) Paſſionis ejus fructus proveniret. Et verò captivi illi

illi haud ſanè redempti dici poſſunt, pro quibus lytrum non perſolvitur; futurum ceterà pro iis etiam ſufficiens, pro quibus non penditur.

Jam autem ex meritis Paſſionis Chriſti Salvatoris omnium, ipſi etiam infideles accepêre media neceſſaria, ut credere poſſint, ſi velint: juſti verò (etiam ſuâ culpâ non perſeverantes) gratiam, atque in illa jus ad hæreditatem Dei in cæleſti beatitudine. Iſtorum interim mediorum applicatio ſæpè impeditur à reprobis, per peccata, quæ liberâ voluntate committunt; vel jam applicatorum fructus, ob defectum cooperationis.

6. 2. Petri 2. v. 1. *Fuerunt verò & Pſeudo-prophetæ in populo, ET IN VOBIS ERVNT MAGISTRI MENDACES, qui introducent ſectas perditionis, ET EVM QVI EMIT EOS, DOMINVM NEGANT, SVPERINDVCENTES SIBI CELEREM PERDITIONEM.*

7. 1. Joannis 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem*

autem tantùm; *SED ETIAM PRO TOTIUS MUNDI.*

Per iſta verba, *Totius mundi*, Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 2. & 3. intelligit Judæos, & infideles Gentiles, qui *mortis Chriſti beneficium non recipiunt*, quibusque mors Chriſti; ne ad ſalutem quidem temporariam profuit.

8. Vide etiam ad Roman. 8. v. 32. Et 2. ad Corinth 5. v. 14. 15. Ad Hebræos 2. v. 9. Denique illa omnia Scripturæ teſtimonia; in quibus, verbis conceptiſſimis exprimitur ſincera Dei voluntas de hominum omnium ſalute; quæ, ex Janſenii ſententia, & prorſus illuſoria, & ad irridendos homines compoſita eſſe videantur. Sapientiæ 11. verſ. 25. & 26. Ezechielis 18. verſ. 23. Matthæi 11. v. 28. Et cap. 23. v. 37. Lucæ 19. v. 42. &c.

§. V.

Diſſenſus Ianſenii à Conciliis.

1. TRIDENTINUM ſeſſ. 6. cap. 2. extremo: *Hunc* (Chriſtum) *propoſuit Deus*

Deus PROPITIATIONEM per fidem in ſanguine ipſius PRO PECCATIS noſtris: non ſolùm autem pro noſtris; ſed etiam pro TOTIUS MUNDI. Mox tertium caput ſic inchoat. *Verùm etſi ILLE PRO OMNIBUS MORTUUS EST, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt: ſed ii dumtaxat, quibus meritum Paſſionis eius communicatur.*

Vides, ut Tridentino idem ſit, *Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus*, & *poſitum eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi.*

Pugnat igitur adverſus Tridentinum Janſenius aſſerens Chriſtum pro Electis tantùm eſſe mortuum: patet enim ex citatis verbis, eorum numero, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, eos etiam comprehendi, qui mortis ejus beneficium non recipiunt, qui recuſant ſibi applicare pretium ejus Sanguinis, uſurpatione videlicet Sacramentorum Eccleſiæ, & Chriſtianarum exercitatione virtutum; adeóque non ſalvandos. Neque verò Janſeniani hunc Syllo-

giſmum umquam enervabunt.

Omnes qui ſalvantur, mortis Chriſti beneficium recipiunt.

Aliqui, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, hoc beneficium non recipiunt;

Ergo aliqui, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, non ſalvantur.

Major Propoſitio eſt apud omnes Catholicos certiſſima.

Minor eſt ipſius Concilii Tridentini. Conſequentia eſt legitima.

Maneat itaque ex certa Tridentinorum Patrum mente teſtatiſſimum, intentionem Chriſti, de redimendo genere humano, latiùs patuiſſe, quàm illius fructum; cui tamen ipſi ſola hominum redemptorum culpa, impedimento eſt.

2. Quò etiam ſpectat, quod ibidem, de juſtificatis dicitur, cap. 13. *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent.* Auxilio, inquam, ad perſeverandum neceſſario.

Quomodo enim ſpem firmiſſimam omnes babeant in divino auxilio, ſi illud majori hominum parti denegatur?

Sin autem juſtificatis omnibus paratum eſt; ergo jam in Deo eſt voluntas juvandi (quantum eſt in ipſo) omnes juſtificatos, ad ſalutem conſequendam: è quibus cùm multi ſint reprobi; (ſuâ nimirum culpâ in malo ſtatu morituri) ſequitur, ex mente Tridentini, Deum habere ſinceram voluntatem juvandi ad ſalutem multos reprobos: ac proinde Chriſtum pro iis eſſe mortuum.

Cur autem debeant juſtificati concipere ſpem firmiſſimam, hac ratione confirmatur, proximè ſequentibus verbis: *Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Vult igitur Deus efficere ut in adepta ſemel juſtitia perſeverent uſque in finem. Quî autem velle id poteſt, & non velle ut ſalventur? Quare nemini ampliùs dubitandum eſt, quin Deus, (quantum eſt ex ſe) velit ut ſalventur omnes, in quibus opus bonum juſtificationis aliquando cœpit, tametſi ſuâ ipſi culpâ poſtmodum damnentur.

3. CONCILIUM VALENTINUM III.

ſub Leone Papa IV. contra Prædeſtinatianos, Anno Chriſti 855. canone 5. *Firmiſſimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium, ex aqua & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter Eccleſiæ incorporata, & .... in morte Chriſti baptizata, in eius ſanguine ſit à peccatis ſuis abluta.......... EX IPSA TAMEN MVLTITVDINE FIDELIVM, ET REDEMPTORVM, alios ſalvari æternâ ſalute; quia per gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent.... .... ALIOS, quia noluerunt permanere in ſalute fidei, quam initio acceperunt, redemptionísque gratiam potiùs irritam facere pravâ doctrinâ, vel vitâ, quàm ſervare, elegerunt: ad plenitudinem ſalutis, & AD PERCEPTIONEM ÆTERNÆ BEATITVDINIS, NVLLO MODO PERVENIRE.*

Nullum igitur patrocinium ſui erroris habet ex hoc concilio Janſenius, ut jactat Tom. 1. libro 8. cap. 26. col. 548. Neque enim enucleatiùs aſſeri poteſt,

Chriſtum

Chriſtum redemptorem eſſe etiam eorum qui damnantur; quibus tamen ſalutem æternam ſua morte emerat, & gratiã conſequendæ beatitudinis æternæ obtulerat, quam irritam propria electione fecerunt.

4. Concilium apud Cariſiacum, ſub Carolo Calvo Rege, Anno Chriſti 848. in quo Gotheſcalcus convictus hæreſis Prædeſtinatianorũ, iterum damnatus fuit, capitulo 4. *CHRISTVS JESVS Dominus noſter; ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cuius natura in illo aſſumpta non fuerit, ita NVLLVS EST, FVIT, VEL ERIT HOMO, PRO QVO PASSVS NON FVERIT; licèt non omnes Paſſionis eius myſterio redimantur. Quòd verò omnes Paſſionis eius myſterio non redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem, & pretii copioſitatem; ſed ad infidelium, & ad non credentium eâ fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem. Quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra, & virtute divinâ, habet quidem in ſe, ut*

 omnibus

omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur.

Ex iſtis trium Conciliorum verbis, & Scripturis ſuprà citatis patet (contra nuperam Liberti Fromondi juſtificationem) eſſe omnino *Veterem Eccleſiæ doctrinam*, quòd Chriſtus mortuus ſit pro omnibus omninò hominibus, ſive ipſi gratiam aliquando fuerint conſecuti, ſive in perpetua infidelitate (media ad credendum neceſſaria, etiam ultrò oblata, reſpuentes) manſerint, & ita obierint.

§. VI.

Diſſenſus Ianſenii à Divo Auguſtino.

Etſi jucundiſſimum eſſet audire hîc præcipuos è Sanctis Patribus, qui omnes magno pietatis ſenſu ſæpiùs regustant effatum illud D. Gregorii Nazianzeni Tom. 1. orat. 25. ad Arianos num. 30. ubi docet, communes eſſe nobis omnibus *ipſos Chriſti cruciatus per quos OMNES CITRA ULLAM EXCE-*

EXCEPTIONEM INSTAURATI SUMUS, QUI EIDEM ADAMO PARTICIPAVIMUS.

Janſenius tamen ſilere omnes Patres jubet, præter Auguſtinum & Proſperum: à quibus quàm nihil præſidii deſperatæ cauſſæ ſuæ ſperare debeat, age nunc demonſtremus.

1. D. Auguſtinus in Joannem Tract. 4. ſub initium: *Populi autem ſpernentes propter ſuperbiam ſuam, humilitatem Dei, crucifixerunt SALVATOREM SUUM, & FECERUNT DAMNATOREM SUUM.*

Fuit ergo Chriſtus (quantum in ipſo erat) Salvator eorum, in quos laturus eſt damnationis ſententiam.

2. Idem, de Symbolo, ad Catechumenos lib. 2. cap. 8. med. *Videtis vulnera quæ inflixiſtis? Agnoſcitis latus, quod pupugiſtis? Quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt; neque tamen intrare voluiſtis.*

Non poteſt querela iſta dirigi niſi ad reprobos: quippe qui ſoli ex redemptis, Chriſti latus, etiam pro eorum

æterna ſalute apertum, intrare pœnitentiæ beneficio, noluerunt.

3. Idem in Pſalm. 68. v. 27. ſub initium, agens de Juda proditore, ait: *Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; Nec agnovit pretium, quo ipſe à Domino redemptus erat. Factum eſt hoc in Juda.*

Si Judam redemerat, neceſſe eſt habuiſſe voluntatem redimendi illum: ſi autem pro illius redemptione, ſui pretium ſanguinis ſincera voluntate obtulit; quomodo eandem redemptionis gratiam aliis negavit reprobis, omnium ſalvator hominum?

4. Idem ſermone 67. de tempore, circa medium, inducit Chriſtum judicem, ſic reprobos in judicio extremo alloquentem: *Flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfoſſus, ut tu eriperis morti, animam in tormentis dimiſi.* Et paucis interjectis. *Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem. Suſcepi mortem tuam, ut in æternum viveres. Conditus iacui in ſepulchro, ut tu regnares in cælo.* &c.

Hinc

Hinc patet falſitas illius, quod Janſeniani (poſt Magiſtrum ſuum) jactare etiamnum audent: Chriſtum videlicet mortuum non eſſe, nec ſanguinem fudiſſe pro ſalute æterna eorum qui non ſalvabuntur; ſed ſummùm pro temporali non-perſeverantium. Habemus enim ex Auguſtino, Chriſtum paſſum, mortuum & ſepultum fuiſſe, ut reprobi *in æternum viverent, & regnarent in cælo.*

5. Idem, ſermone 114. de tempore, initio: *Hodie Dominus noſter in ſtatera crucis, pretium noſtræ ſalutis appendit, & unâ morte univerſum mundum, ſicut omnium conditor, ita omnium reparator abſolvit. Indubitanter enim credamus, quòd totum mundum redemit, qui plus dedit, quàm totus mundus valeret.*

Si vel Electi ſoli poſſunt verè nominari, *Univerſus mundus*; vel Electorum tantùm conditor Chriſtus dici poteſt; non pugnabo, quin Chriſtus dicatur tantummodò Electorum reparator eſſe.

6. Idem, Tractat. 36. in Joan. poſt initium, explicans hæc verba; *Ego non iudico quenquam*, ſic habet: *Venit Chriſtus, ſed primò ſalvare, poſteà iudicare, eos iudicando in pœnam, qui ſalvari noluerunt: eos perducendo ad vitam, qui credendo, ſalutem non reſpuerunt.*

Qui à Chriſto judicantur in pœnam, quòd ſalvare ſe noluerint, neceſſum eſt, præſtare id potuiſſe adjutorio gratiæ; ſed præſtare numquam potuerunt, neque habere adjutorium gratiæ neceſſarium, niſi Chriſtus (pro iis moriendo) iiſdem impetrarit. Igitur mortuus eſt pro iis, qui ſalvare ſe noluerunt. Neque enim D. Auguſtinus profert aliam damnationis eorum cauſſam, quàm malitioſæ voluntatis nequitiam.

7. Eòdem ſpectat, quod idem Auguſtinus habet, de Spiritu & littera cap. 33. ſub initium: *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri*, &c. *non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes, iuſtiſſimè iudicentur: quod cùm fit, infideles quidem*

contra

contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Evangelio non credunt.

Vult igitur Deus ſalvos fieri infideles, qui malè utuntur libero arbitrio, nolentes credere, cùm poſſint adjutorio oblatæ, & per Chriſtum promeritæ gratiæ.

8. Idem, libro 6. contra Julianum Pelagian. cap. 4. poſt init. probat ex eo mortuos eſſe in Adamo uno omnes omnino homines, quia pro omnibus omnino mortuus eſt unus Chriſtus. *Audiretis Apoſtolum hoc breviter explicantem, qui unum dixit fuiſſe, in quo omnes peccaverunt. In illo uno mortui* Rom. 5. *ſunt omnes, ut moreretur unus pro omnibus. Vnus enim pro omnibus mortuus* 2.Cor.5. *eſt. Ergo omnes mortui ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Nega igitur CHRISTVM etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc eſt de contagio peccatorum.*

Vides, ut meritum Paſſionis & mortis Chriſti, ad eos extendat omnino omnes, quos contagium noxæ originalis afflavit.

9. Idem ibid. *Quia ſi Chriſtus & pro ipſis mortuus eſt; ergo & ipſi mortui ſunt. Quo modo ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Audíſne, Juliane? hæc Apoſtoli verba, non mea ſunt. Quid à me quæris, quo ſit factum modo, cùm videas factum eſſe quocumque modo*, &c.

10. Idem eodem libro 6. cap. 6. in fine; *A morte quippe iuſtiſſimæ damnationis per unum Mediatorem Dei & hominum liberatur genus humanum, non à morte corporis tantùm; ſed à morte qua mortui ſunt, pro quibus unus mortuus eſt. Et quia pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.*

Vide quæ in hanc ſententiam habet, Tractatu 12. in Joan. &. Pſ. 18.

Si nondũ iſta ſatis ſint ad ſignificandã D. Auguſtini mentẽ circa univerſitatem redemptionis Chriſti; iterum conſulamus ſanctum hunc Doctorem, in ſingulari quodam opere, quod vix exiſtimo authori ulli familiarius, magiſque celebre eſſe, quàm Janſenio. Siquidem animadverti vel in ſolo Tomo 2. libro

ſingulari

ſingulari, *de Gratia primi hominis*, facilè vigeſies citatum; moxque libro 1. de Statu naturæ lapſæ, in 12. primis capitibus, quater & vigeſies.

11. Igitur S. Auguſtinus in commemorato illo, *Opere imperfecto, contra Julianum*, libro 1. c. 50. *Præclari Prædicatores*, inquit, *ſic prædicatis JESUM, ut eum negetis parvulorum eſſe JESUM. NOLITE SALVATOREM NON SALVIS PUERIS INVIDERE.*

12. Idem ibid. c. 51. *Vos ergo ſi carere vultis opprobrio, quo Eccleſiæ Catholicæ deteſtabiles facti eſtis, SINITE CHRISTUM PARVULIS ESSE JESUM.*

Atqui multi ex Parvulis iſtis, quorum Chriſtus dicitur hîc eſſe JESUS & Salvator, ad gratiam Baptiſmi numquam perveniunt.

13. Idem lib. 2. Operis imperfecti contra Julian. c. 128. *Unius pro omnibus mortuus eſt, Juliane, non hoc Auguſtinus, ſed Apoſtolus dixit, imò ipſe per ſuum Apoſtolum Chriſtus, cohibet te*

vaniloquio, cede Deo. Digere crapulam contentionis, & intellige. Tum oſtendit quid differant duæ illæ voces, *OMNES* & *MULTI*, in duobus Apoſtoli locis; primo, ad Romanos 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*: &c. Altero, 1. Corinth. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur*: &c. Ac demum, ſic locum utrumque conciliat: *MULTI QUIPPE ISTI, IPSI SUNT OMNES, DE QUIBUS ALIO LOCO DICIT: SICUT IN ADAM OMNES MORIUNTUR.*

Si, ex Auguſtini ſententia, Chriſtus pro iis omnibus mortuus eſt, qui in Adam ſunt mortui; aliunde verò, ſi demonſtrat idem S. Doctor contra Pelagianos, nullum eſſe hominem qui in Adam non ſit mortuus, & aviti criminis per illum Reus: manifeſtum eſt, ex mente Auguſtini, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus, citra ullius exceptionem.

14. Idem lib. 1. ejuſdem Operis imperfecti, c. 110. *Sinite ergo parvulos in-* *veniri*

veniri ab eo, qui venit quærere quod perierat, alioquin liberatorem IESVM, quoniam & ipſi homines ſunt, prorſus invidetis, quantacumque loquacitate crudelitatem veſtri huius erroris obtegendam eſſe credatis.

JESUS, teſte Auguſtino, eſt Redemptor parvulorum, eò quòd *& ipſi homines ſunt*; eadem autem ratio in omnibus reperitur hominibus: neceſſum eſt igitur, Chriſtum omnium omnino qui homines ſunt, Redemptorem eſſe, proque illis mortuum. Omiſſis aliis ejuſmodi Auguſtini teſtimoniis, rogo benevolum Lectorem, ut ex allatis modò, tria meminiſſe ne gravetur.

§. VII.

Tria corollaria ex citatis Divi Auguſtini teſtimoniis.

Primum, S. Doctor utitur celebratiſſimis iſtis Apoſtoli verbis: *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*, tanquam principio apud Adverſarios ſuos planè explorato, & omnino magis cognito, quàm

quàm ipſum peccatum originale, cui probando dictum principium adhibebat. Et cùm addit; Pelagianos, niſi pugnare ſecum ipſi velint, negare non poſſe, Parvulos omnes eſſe mortuos, quandoquidem fateantur Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus: neceſſe eſt confici; mortem Chriſti eò extendi uſque, quò ipſum pertingit originale peccatum: & eum qui fatetur univerſitatem mortis Chriſti, negare non poſſe univerſitatem mortis parvulorum. Itaque hæc eſt illatio ex mente & ratione D. Auguſtini.

Chriſtus mortuus eſt pro omnibus qui in Adamo mortui ſunt:

Sed omnes prorſus homines in Adamo mortui ſunt:

Igitur Chriſtus prorſus pro omnibus hominibus eſt mortuus.

Deinde ſi Divus Auguſtinus credit, omnes homines per peccatum originale eſſe mortuos; neceſsè eſt etiam credat, Chriſtum pro omnibus Universè mortuum eſſe: niſi ſummâ Doctoris maximi injuriâ fateri audeamus, eum

ſecum

ſecum pugnare, ac Pelagianis (de quibus toties triumphavit) tela in ſuum ipſius jugulum ultrò tradere; iſtis hanc non defenſionem modò, ſed objectionem etiam ineluctabiliter opponentibus: *Eos nequaquam eſſe mortuos, pro quibus Chriſtus non eſt mortuus.*

Poſtremò, ex Philoſophorum placitis, conſequens non poteſt eſſe univerſalius antecedente: & ex antecedente particulari malè concluditur univerſaliter. Jam autem ſi D. Auguſtinus crederet Chriſtum non niſi pro quibuſdam eſſe mortuum, & verba illa S. Pauli, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, non acciperet in ea omni latitudine quam ſignificare nata ſunt, malè profectò illis abuteretur; ac vellet colligi: *Omnes homines eſſe mortuos, quia Chriſtus pro quibuſdam eſt mortuus.*

Ex quibus liquidò conſtat, ſententiam Janſenii, ejusque ſectatorum, toto cælo aberrare à mente S. Auguſtini, tot luculentis teſtimoniis jam comperta.

§. VIII. *Diſ-*

§. VIII.

Diſſenſus Ianſenii à Sancto Proſpero.

1. D. Prosper (Janſenio, *accuratus Auguſtinianæ doctrinæ aſſertor*; Fromondo, *Religioſiſſimus S. Auguſtini diſcipulus*) diſertè docet; *Chriſtum dediſſe ſemetipſum redemptionem pro omnibus, nullo excepto.* Ita ad verbum referente Janſenio Tom.3.lib.3. de Grat.Salvator. cap.21. cui frigidè admodum reſpondet: *Auguſtinum Proſpero fuiſſe antiquiorem & doctiorem.* Attamen Janſenio ſenior ipſis 12. ſæculis S. Proſper, Auguſtini auditor & familiaris fuit, idemque Auguſtinianæ Theologiæ ſcientiſſimus, ac ſui ipſius Magiſtri in Semipelagianiſmo inſtitutor.

2. Idem, lib.2. de Vocatione Gentium cap.16. initio: *Nulla ergo ratio dubitandi eſt, JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, pro impiis & peccatoribus mortuum; à quorum numero ſi aliquis liber inventus eſt, non eſt pro omnibus*

omnibus mortuus Chriſtus. Sed prorſus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.

Obſervandum illud; *Prorſus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, quod & hîc inculcat S. Proſper., & ex ejus virtute datam prorſus omnibus abſolutè gratiam ſufficientem probat libro 2. citato, à cap. 19. uſque ad libri finem.

3. Idem eod. lib. 2. de Vocat. Gent. ſic exorditur cap. 31. *Elaboratum eſt enim, quantùm Dominus adiuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus; ſed etiam in cunctis retrò ſæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus affuiſſe... .... Quoniam ſive occultè, ſive manifeſtè, ipſe eſt (ut Apoſtolus ait) Salvator omnium hominum, maximè fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis, & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc (de qua egimus) controverſiam dirimit. Dicendo enim; Qui eſt Salvator omnium hominum, confirmavit Bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem.*

Non poteſt confirmari bonitatem

Dei

Dei ſuper homines univerſos eſſe diffuſam, quòd Chriſtus dicatur ab Apoſtolo, eſſe *Salvator omnium hominum*; niſi iiſdem ex verbis colligatur, & pretium ſalutis depenſum pro univerſis; & eodem pretio ſalutem (æternam videlicet, ut anteà ex Auguſtino vidimus) emptam univerſis, ac ſincerè procuratam fuiſſe; quantùm in ſalvatore fuit.

4. Idem, lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 23. de Parvulis: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd iſti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, quâ utique ſi benè eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuvarentur.*

En veriſſimam rationem, cur divina voluntas ſalvandi omnes, ſuo in parvulis effectu careat: hoc nimirum facit non peccatum originale parvulorum; ſed negligentia Parentum; quibus Parentibus ut vita commiſſa eſt; ſic Parvulorum ſalus, à vita productiore pendens.

5. Idem,

5. Idem, in Reſponſione ad objectionem primam Vincentianam, poſt initium: *Quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſſam generis humani, Sanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi.*

Quis cordatus, nomine, *totius mundi*, aliud intelligat, quàm, *omnes prorſus homines?*

6. Idem ibid. in fine capit. *Poculum quippe immortalitatis* (Sanguis Chriſti) *quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute divina, habet quidem in ſe, ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.*

Quæ autem ex Proſpero citantur ab Adverſariis pro errore Janſenii, ſunt neceſſariò intelligenda juxta ſententiam loci proximè laudati, & aliorum præcedentium. Nam alioqui & ſecum ipſe Proſper, & cum Auguſtino Magiſtro *Religioſiſſimus Diſcipulus* (ut vocat Fromondus ſuprà) manifeſtè pugnaret.

7. Denique apud eundem Proſperum, Vincentianarum objectionum prima eſt: *Quòd Dominus noſter JESVS Chriſtus non pro omnium hominum ſa-*

lu'e, & redemptione ſit paſſus. Hanc verò objectionem, aliasque omnes nominat ipſe in Præfatione; *ineptiſſimarum blaſphemiarum prodigioſa mendacia; diabolico contenta indiculo, ſubſcriptione anathematis reiicienda; perverſas definitiones, ineptas profanásque opiniones, blaſphemias damnatas.*

Eſt igitur D. Proſpero Aquitanico, Epiſcopo Regienſi, Diſcipulo S. Auguſtini religioſiſſimo, ac defenſori acerrimo; *Prodigioſum mendacium, anathemate reiiciendum, perverſa definitio, blaſphemia damnata*, &c. Quod nuper quidem viventi Cornelio Janſenio Batavo, Iprenſium Epiſcopo, dogma Catholicum videbatur: nunc verò & ipſi Janſenio (poſito ſimul mortalitatis, ſimul errorum velamine) totíque adeò Eccleſiæ Catholicæ execrandum eſt, ut *impia, blaſphema, contumelioſa, divinæqúe pietati derogans hæreſis.*

§. IX.

De Authore damnatarum Quinque Propoſitionum

Ex dictis ſatis liquet damnatas à Pontifice

tifice quinque Propoſitiones eſſe re verà Janſenii; ſive ex ejus Pſeudo-Auguſtino ad verbum deſcriptas, ſive ex ſententiis longioribus in pauca verba redactas: quo ferè modo Tridentini Patres, Lutheri & Calvini opiniones, verboſiùs apud authores ipſos ſcriptas, breviter complexi damnarunt. Quod vel ipſe Janſenianorum coryphæus (de quo ſuperiùs) libro de *Gratia victrice*, fateri dudum coactus, ſcribit pag. 16. *Janſenium & ſectatores eius admiſiſſe Propoſitiones illas quinque; ſed iuxta ſenſum verum & Catholicum.*

Hæc tamen exceptio malè appoſita à citato auctore Anno 1651. jam fidem habere apud obedientes Eccleſiæ Catholicæ filios ampliùs non poteſt, poſtquam & eas omnes iterum ac tertiò eſſe ex Janſenii opinionibus, & ſingulas (eo ſenſu intellectas, quem medium inter ſenſus hinc Moliniſtarum, illinc hæreticorum eis aſſerere conati ſunt Janſenianæ factionis primipili, eo ſcripto quod Romæ Pontifici obtulerunt, & in Gallia impreſſerunt) hæreticas decla-

ravit,& ut tales damnavit (ad reſtituendam Eccleſiæ, eâ occaſione tot annis turbatæ, tranquillitatem) è Cathedra minimè fallente D. Petri, ejuſdem legitimus ſucceſſor, ſupremus Controverſiarum fidei Judex, ac ſummus in terris Chriſti Vicarius INNOCENTIUS X. Pontifex ter Opt. ter Max. Cujus Pontificiæ Definitionis ut authorem ſingulariter agnoſceremus Spiritum Sanctum, teſtatur ſua illa Conſtitutione idem Pontifex; ſe poſt longam diligentemque diſcuſſionem, auditâ ſæpiùs utraque parte (tum quæ Janſenianas Quinque Propoſitiones hæreſis inſimulabat; tum quæ eaſdem ab ea nota vindicatas ſenſu quodam medio explicabat) poſt indictas ſæpiùs cùm privatim, tum publicè, eum in finem, fidelium preces, poſt imploratam ſollicitè per ipſum Pontificem S. Spiritûs aſſiſtentiam, tandem divino Numine favente, ad ejuſmodi contra Janſenii Propoſitiones definitionem deveniſſe.

APPEN-

APPENDIX
ALIARUM
JANSENII OPINIONUM,
AC SUBTERFUGIORUM.

PARS PRIOR.
De Aliis Ianſenii Opinionibus.

§. I.
Concluſio Pontificiæ Conſtitutionis.

APoſtolicam Conſtitutionem ſuam S. D. N. D. INNOCENTIUS Papa X. in hæc verba concluſit: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis Quinque Propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias Opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii.*

Horum occaſione verborum, cupido quibuſdam inceſſit cognoſcendi, num aliæ forent Janſenii opiniones, à ſana doctrina & pietate abhorrentes; ac

mihi, ſubinde id rogato; ſtudium nonnullas è multis recenſendi.

Porrò abundè nunc erit *una earum Decas*, quàm Hæterodoxis conſentiens, tam Tridentini, & Pontificiis jam olim Decretis diſſentanea. Cui Decadi, ſi jungamus *Quinque damnatas Propoſitiones*, facilè erit totius Janſeniani operis (quod *Auguſtinus* inſcribitur) immanem ſtructuram uno intuitu contemplari.

§. II.

Fundamentum totius Ianſenianæ doctrinæ.

Ingentis ædificii, quo Eccleſiam Matrem immodicè prægravavit Janſenius, angularem quaſi lapidem hunc ſtatuit. Hominem perinde & Angelum, ita in juſtitia originali conditos à Deo fuiſſe, ut condi aliter ab eo non potuerint, neque ad ſupernaturalem beatitudinem non ordinari, adeoque beatiſſimo Dei contuitu non donari; ſi modò (quod facillimè poterant) noxæ immunes

nes in congenita innocentia perſeveraſſent. Quare totis tribus libris, *De ſtatu naturæ puræ*, magna contentione pugnat; condi non potuiſſe (ſalvâ Dei juſtitiâ) hominem aut Angelum ſine gratia, & ſupernaturalibus donis, in *Statu puræ naturæ*.

Hinc, poſt Michaëlem Baium, docet; Adamum neceſſariò creatum fuiſſe in *ſtatu naturæ integræ*; id eſt, in charitate & juſtitia originali, ſine ignorantia & concupiſcentia; neque morti, morbis, aliiſque miſeriis, & pænalitatibus corporis obnoxio. Hæc enim neceſſariò præſupponere peccatum, ejúſque eſſe pœnas; illa verò naturæ integræ dona (citra gratiam adoptionis) eſſe illi connaturalia: adeoque ejus merita, vitamque æternam, & alia præmia inde manantia, non rectè vocari gratiam; ſed mercedem liberi arbitrii. Hoc fundamento nititur reliqua ſeu moles, ſive portentoſa congeries male-ſanæ nec benè cohærentis doctrinæ.

§. III.

Decas una inſolentiorum Ianſenii Opinionum.

DISTINCTIO PRIMA.

1. *Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Tom.2. lib.3. de Statu puræ natur. c.22. initio; col. 975. Vbi fatetur ingenuè, eſſe Articulum 53. damnatum à duobus Pontificibus, in ſenſu ab aſſertoribus Baianis intento.

2. *Nullum qualecumque malum inferri à Deo poteſt creaturæ rationali ſine culpa.* Ibid. cap. 11. in tit. ex textu. Item: *Ex ipſis terminis crudelitatem, vel etiam iniuſtitiam ſpirat, innocentem animam, nulli peccato obnoxiam, ad miſerias ſtatus præſentis naturæ lapſæ condemnare.* Ibidem cap. 13. col. 938. initio.

Quæ parallela ſunt damnatis in Baio Propoſitionibus 72. & 73. quidquid Janſenius nequicquam declamet, Atheos eſſe qui ſecùs doceant.

3. *Qui*

3. *Qui à numero liberandorum beatiſſimo ſecluſi ſunt, etiam poſitivè reprobati dici poſſunt. Non enim ſic præteriti ſunt à Deo, ut quodammodo manſerit voluntas eius de ipſorum ſalute, vel perditione ſuſpenſa; ſed ſic ut fuerit voluntas fixa, eos relinquendi in iſto ſtatu, ex quo cæteros liberare ſtatuebat. Ille autem, citra dubium, perditionis ac damnationis eſt ſtatus.* Tom. 3. de Grat. Chriſti lib. 10. cap. 2. col. 1014. §. *vides Quartò.*

Ex quo illud eodem ſpectans ſequitur. *Non poteſt ſtatui voluntas quædam generalis, qua Deus velit omnes homines, in damnatione Primi Peccati poſitos, ſalvos fieri, ex qua voluntate non ſolùm generalia redemptionis remedia, ſed etiam ſufficientia adiutoria, omnibus etiam reprobis præparaverit.* Tom. 3. de Grat. Chriſti, ibid. col. 1013.

Conſpirant cum Janſenio hîc Lutherus, Calvinus, cæteríque hujus ætatis hæretici: & reclamant Scripturæ, Matthæi 18. & 22. Joan. 1. v. 9. 2. Petri 3. v. 9. &c.

Ex his negat Janſenius Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, nec Patrem oraſſe ſive pro infidelibus, ſive pro nonperſeveraturis. Negat item, in hoc ſtatu naturæ lapſæ, dari ullam gratiam ſufficientem, quæ ſimul non ſit neceſſariò efficax, & cui homo reſiſtere poſſit, ſi velit. Adeóque conficitur

4. Poſt lapſum primi hominis, *periit non ſolùm libertas ad agendum bonum; ſed etiam abſtinendi à peccato.* (Tom. 2. de Statu natur. lapſæ lib. 3. cap. 9. in tit. col. 470.) Et *loco libertatis abſtinendi à peccato, inducta eſt peccandi neceſſitas.* Ibid. cap. 11. in tit. col. 477.

Contrarium omnino docet Tridentinum ſeſſ. 6. can. 6. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere,* &c. *anathema ſit.* Item S. Auguſtinus lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagii. Et Proſper ſentent. 14. & alibi.

5. *Laudem boni operis, bonæque voluntatis, partiri cum Deo impium eſſe, ex eo patet, quòd poſt lapſum hominis, tota laus bonæ voluntatis, atque operis, in ſolam gratiam referenda ſit.* Tom. 3.

de Grat. Chriſti lib. 2. cap. 23. col. 193. in med.

Quæ doctrina prorſus damnata videtur à Tridentino, ſeſſ. 6. de juſtif. can. 32. ſuprà citato, Propoſit. 3. §. 6. numero 5.

Conſonant Janſenio Calvinus in Antidot. Trident. ſeſſ. 6. ſub initium, & canon. 4. lib. 2. Inſtit. cap. 3. & lib. 3. cap. 24. Lutherus, Chemnitius, aliíque hæretici.

Deinceps ſublatâ arbitrii indifferentiâ ad utrumlibet (quod nominatim facit Tom. 3. de Grat. Salvat. lib. 7. cap. 10. med. his verbis: *Illa æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium periit*) hanc Propoſitionem, parùm ſuis de libertate principiis cohærentem docet,

6. *Solum primum hominis peccatum voluntate, id eſt, libera voluntate, ſeu nullo cogente perpetratum eſſe.* Mox interjectis 12. verſibus: *Fuit enim uti peccatum propriè dictum, ita etiam ſtrictiſſimè dicta voluntate, hoc eſt, ab ignorantiæ & cupiditatis COGENTIS viſco liberrima,*

liberrima, voluntarium. Tom. 2. de Statu natur. lapſ. lib. 4. cap. 21. col. 641. poſt med. & in fine. Ex quibus deinde colligit, cæterorum hominum peccata, ſive actualia, ſive originalia peccata ſint, ideò eſſe voluntaria; *Quia ex origine illius liberrima proprieque dictæ voluntatis* (primi hominis) *nata*. Ibid. col. 642. poſt med.

Hujus autem maleſani dogmatis rationem hanc reddere videtur: *Captivitas* (humani arbitrii) *in eo ſita eſt, quòd voluntas concupiſcentiæ terrenæ viſco intimè penetrata ſemper & in omni actu motibus eius feratur ac referatur, imperio eius ac ponderi indeſinenter ſerviens: eòdem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omninò motibus ſervit divinæ charitati.* Tom. 3. de Grat. Salvatoris lib. 1. cap. 4. poſt initium.

Huic Janſenii Doctrinæ conſimilem omninò tradit LUTHERUS toto libro de Servo arbitrio: & in Geneſ. cap. 3. Itemque CALVINUS lib. 1. Inſtit. cap. 15. §. 8. & de liber. arbitr. lib. 2.

contra

contra Pighium, alibíque.

Addit prætcrea Janſenius, Deum verè ac propriè impoſſibilia imperare, atque ob ea non ſervata, pœnas exigere. Vide ſuprà 1. Propoſit. damnat.

7. *Ignorantia etiam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt invincibilis, non caret peccato: ut dogma fidei ab antiquis traditum eſt. Solemne quippe Pelagianorum dogma fuit: oblivionem & ignorantiam non ſubiacere peccato.* Tom. 2. de Statu natur. lapſæ, lib. 2. in tit. & textu cap. 2. colum. 287.

Id ipſum etiam tradit fusè Lutherus in Geneſ. cap. 12. Et Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 2. §. 25.

DISTINCTIO SECUNDA.

De Operibus Infidelium.

8. Propoſitio Janſenii: *Omnia opera infidelium ſunt peccata; & Philoſophorum virtutes, ſunt vitia.* Tom. 2. de Statu naturæ lapſ. lib. 4. cap. 27. col. 672. med. ubi Propoſitionis iſtius partes confirmans: *Utramque partem,* ait, *tam conſtanter & luculentè tot modis*

dis Auguſtinus tradidit, ut ſi ulla eſt doctrina in univerſis lucubrationibus eius manifeſta, & minùs obnoxia cavillationibus, illa emicet inter omnes.

Interim agnoſcit eſſe damnatam à duobus Pontificibus; (Propoſitione 25. inter damnatas in Michaële Baio) à quorum cenſuris ac fulminibus ſatis ſibi cautum, exemplo Calvini, exiſtimavit, uno Achillis hujus præſidio; nempe, *ſententiam eſſe D. Auguſtini.*

Qui tamen prorſus contrarium paſſim docet, ut facillimè demonſtrare poſſem minimùm undecim luculentis teſtimoniis.

Primùm, libro de Spirit. & litter ad Marcellin. cap. 27. extremo: *Impiorum,* inquit, (agens de infidelibus) *quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò rectéque laudamus.* Tum, ibid. cap. 28. ſparſim: *Sine bonis operibus difficillimè vita cuiuſlibet peſſimi hominis invenitur.* Deinde, Epiſt. 5. ad Marcellin. longè ante finem: *Rempublicam*

publicam primi Romanorum conſtituerunt, auxerúntque virtutibus, etſi non habentes veram pietatem erga DEVM verum, &c.

Tum, libro 5. de Civit. cap.12. agens de moribus antiquorum Romanorum: *Cùm illâ memoriâ*, inquit, *duo Romani eſſent virtute magni, Cæſar & Cato*, &c. Poſtremò, libro 6. Confeſſion. cap. 10. initio; miris laudibus extollit Alipii adhuc infidelis *mirabilem continentiam, & iuſtitiæ integritatem*, graviſſimè tentatam *non ſolùm illecebrâ cupiditatis; ſed etiam ſtimulo timoris*, planè in virum conſtantem cadentis.

Plura ex D. Auguſtino teſtimonia in eandem rem proferrem, niſi ex allatis abundè conſtaret, qua cautione fides adhibenda ſit Janſenio, vel indubiam Auguſtini authoritatem plenis buccis concrepanti. Qua loquendi & agendi ratione Calvinus contra Pighium gloriatur: *Nos nihil quàm Auguſtinum ſequimur. Auguſtinus totus noſter eſt*, &c.

luce, & redemptione ſit paſſus. Hanc verò objectionem, aliaſque omnes nominat ipſe in Præfatione; *ineptiſſimarum blaſphemiarum prodigioſa mendacia; diabolico contenta indiculo, ſubſcriptione anathematis reiicienda; perverſas definitiones, ineptas profanáſque opiniones, blaſphemias damnatas.*

Eſt igitur D. Proſpero Aquitanico, Epiſcopo Regienſi, Diſcipulo S. Auguſtini religioſiſſimo, ac defenſori acerrimo; *Prodigioſum mendacium, anathemate reiiciendum, perverſa definitio, blaſphemia damnata*, &c. Quod nuper quidem viventi Cornelio Janſenio Batavo, Iprenſium Epiſcopo, dogma Catholicum videbatur: nunc verò & ipſi Janſenio (poſito ſimul mortalitatis, ſimul errorum velamine) totíque adeò Eccleſiæ Catholicæ execrandum eſt, ut *impia, blaſphema, contumelioſa, divinæqúe pietati derogans hæreſis.*

§. IX.

De Authore damnatarum Quinque Propoſitionum

Ex dictis ſatis liquet damnatas à Pontifice

tifice quinque Propoſitiones eſſe re verà Janſenii; ſive ex ejus Pſeudo-Auguſtino ad verbum deſcriptas, ſive ex ſententiis longioribus in pauca verba redactas: quo ferè modo Tridentini Patres, Lutheri & Calvini opiniones, verboſiùs apud authores ipſos ſcriptas, breviter complexi damnarunt. Quod vel ipſe Janſenianorum coryphæus (de quo ſuperiùs) libro de *Gratia victrice*, fateri dudum coactus, ſcribit pag. 16. *Janſenium & ſectatores eius admiſiſſe Propoſitiones illas quinque; ſed iuxta ſenſum verum & Catholicum.*

Hæc tamen exceptio malè appoſita à citato auctore Anno 1651. jam fidem habere apud obedientes Eccleſiæ Catholicæ filios ampliùs non poteſt, poſtquam & eas omnes iterum ac tertiò eſſe ex Janſenii opinionibus, & ſingulas (eo ſenſu intellectas, quem medium inter ſenſus hinc Moliniſtarum, illinc hæreticorum eis aſſerere conati ſunt Janſenianæ factionis primipili, eo ſcripto quod Romæ Pontifici obtulerunt, & in Gallia impreſſerunt) hæreticas decla-

ravit, & ut tales damnavit (ad reſtituendam Eccleſiæ, eâ occaſione tot annis turbatæ, tranquillitatem) è Cathedra minimè fallente D. Petri, ejuſdem legitimus ſucceſſor, ſupremus Controverſiarum fidei Judex, ac ſummus in terris Chriſti Vicarius INNOCENTIUS X. Pontifex ter Opt. ter Max. Cujus Pontificiæ Definitionis ut authorem ſingulariter agnoſceremus Spiritum Sanctum, teſtatur ſua illa Conſtitutione idem Pontifex; ſe poſt longam diligentemque diſcuſſionem, auditâ ſæpiùs utraque parte (tum quæ Janſenianas Quinque Propoſitiones hæreſis inſimulabat; tum quæ eaſdem ab ea nota vindicatas ſenſu quodam medio explicabat) poſt indictas ſæpiùs cùm privatim, tum publicè, eum in finem, fidelium preces, poſt imploratam ſollicitè per ipſum Pontificem S. Spiritûs aſſiſtentiam, tandem divino Numine favente, ad ejuſmodi contra Janſenii Propoſitiones definitionem deveniſſe.

APPEN-

APPENDIX ALIARUM JANSENII OPINIONUM, AC SUBTERFUGIORUM.

PARS PRIOR. De Aliis Ianſenii Opinionibus.

§. I.

Concluſio Pontificiæ Conſtitutionis.

APoſtolicam Conſtitutionem ſuam S. D. N. D. INNOCENTIUS Papa X. in hæc verba concluſit: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis Quinque Propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias Opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii.*

Horum occaſione verborum, cupido quibuſdam inceſſit cognoſcendi, num aliæ forent Janſenii opiniones, à ſana doctrina & pietate abhorrentes; ac

mihi, ſubinde id rogato; ſtudium nonnullas è multis recenſendi.

Porrò abundè nunc erit *una earum Decas*, quàm Hæterodoxis conſentiens, tam Tridentini, & Pontificiis jam olim Decretis diſſentanea. Cui Decadi, ſi jungamus *Quinque damnatas Propoſitiones*, facilè erit totius Janſeniani operis (quod *Auguſtinus* inſcribitur) immanem ſtructuram uno intuitu contemplari.

§. II.

Fundamentum totius Ianſenianæ doctrinæ.

Ingentis ædificii, quo Eccleſiam Matrem immodicè prægravavit Janſenius, angularem quaſi lapidem hunc ſtatuit. Hominem perinde & Angelum, ita in juſtitia originali conditos à Deo fuiſſe, ut condi aliter ab eo non potuerint, neque ad ſupernaturalem beatitudinem non ordinari, adeoque beatiſſimo Dei contuitu non donari; ſi modò (quod facillimè poterant) noxæ immunes

76
nes in congenita innocentia perſeveraſſent. Quare totis tribus libris, *De ſtatu naturæ puræ*, magna contentione pugnat; condi non potuiſſe (ſalvâ Dei juſtitiâ) hominem aut Angelum ſine gratia, & ſupernaturalibus donis, in *Statu puræ naturæ*.

Hinc, poſt Michaëlem Baium, docet; Adamum neceſſariò creatum fuiſſe in *ſtatu naturæ integræ*; id eſt, in charitate & juſtitia originali, ſine ignorantia & concupiſcentia; neque morti, morbis, aliisque miſeriis, & pænalitatibus corporis obnoxio. Hæc enim neceſſariò præſupponere peccatum, ejúsque eſſe pœnas; illa verò naturæ integræ dona (citra gratiam adoptionis) eſſe illi connaturalia: adeoque ejus merita, vitamque æternam, & alia præmia inde manantia, non rectè vocari gratiam; ſed mercedem liberi arbitrii. Hoc fundamento nititur reliqua ſeu moles, ſive portentoſa congeries male-ſanæ nec benè cohærentis doctrinæ.

§. III.

Decas una inſolentiorum Ianſenii Opinionum.

DISTINCTIO PRIMA.

1. *Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Tom. 2. lib. 3. de Statu puræ natur. c. 22. initio, col. 975. Vbi fatetur ingenuè, eſſe Articulum 53. damnatum à duobus Pontificibus, in ſenſu ab aſſertoribus Baianis intento.

2. *Nullum qualecumque malum inferri à Deo poteſt creaturæ rationali ſine culpa.* Ibid. cap. 11. in tit. ex textu. Item: *Ex ipſis terminis crudelitatem, vel etiam iniuſtitiam ſpirat, innocentem animam, nulli peccato obnoxiam, ad miſerias ſtatus præſentis naturæ lapſæ condemnare.* Ibidem cap. 13. col. 938. initio.

Quæ parallela ſunt damnatis in Baio Propoſitionibus 72. & 73. quidquid Janſenius nequicquam declamet, Atheos eſſe qui ſecùs doceant.

3. *Qui*

3. *Qui à numero liberandorum beatiſſimo ſecluſi ſunt, etiam poſitivè reprobati dici poſſunt. Non enim ſic præteriti ſunt à Deo, ut quodammodo manſerit voluntas eius de ipſorum ſalute, vel perditione ſuſpenſa; ſed ſic ut fuerit voluntas fixa, eos relinquendi in iſto ſtatu, ex quo cæteros liberare ſtatuebat. Ille autem, citra dubium, perditionis ac damnationis eſt ſtatus.* Tom. 3. de Grat. Chriſti lib. 10. cap. 2. col. 1014. §. *vides Quartò.*

Ex quo illud eodem ſpectans ſequitur. *Non poteſt ſtatui voluntas quædam generalis, qua Deus velit omnes homines, in damnatione Primi Peccati poſitos, ſalvos fieri, ex qua voluntate non ſolùm generalia redemptionis remedia, ſed etiam ſufficientia adiutoria, omnibus etiam reprobis præparaverit.* Tom. 3. de Grat. Chriſti, ibid. col. 1013.

Conſpirant cum Janſenio hîc Lutherus, Calvinus, cæteríque hujus ætatis hæretici: & reclamant Scripturæ, Matthæi 18. & 22. Joan. 1. v. 9. 2. Petri 3. v. 9. &c.

Ex his negat Janſenius Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, nec Patrem oraſſe ſive pro infidelibus, ſive pro non-perſeveraturis. Negat item, in hoc ſtatu naturæ lapſæ, dari ullam gratiam ſufficientem, quæ ſimul non ſit neceſſariò efficax, & cui homo reſiſtere poſſit, ſi velit. Adeóque conficitur

4. Poſt lapſum primi hominis, *periit non ſolùm libertas ad agendum bonum; ſed etiam abſtinendi à peccato.* (Tom. 2. de Statu natur. lapſæ lib. 3. cap. 9. in tit. col. 470.) Et *loco libertatis abſtinendi à peccato, inducta eſt peccandi neceſſitas.* Ibid. cap. 11. in tit. col. 477.

Contrarium omnino docet Tridentinum ſeſſ. 6. can. 6. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere,* &c. *anathema ſit.* Item S. Auguſtinus lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagii. Et Proſper ſentent. 14. & alibi.

5. *Laudem boni operis, bonæque voluntatis, partiri cum Deo impium eſſe, ex eo patet, quòd poſt lapſum hominis, tota laus bonæ voluntatis, atque operis, in ſolam gratiam referenda ſit.* Tom. 3.

de Grat. Chriſti lib. 2. cap. 23. col. 193. in med.

Quæ doctrina prorſus damnata videtur à Tridentino, ſeſſ. 6. de juſtif. can. 32. ſuprà citato, Propoſit. 3. §. 6. numero 5.

Conſonant Janſenio Calvinus in Antidot. Trident. ſeſſ. 6. ſub initium, & canon. 4. lib. 2. Inſtit. cap. 3. & lib. 3. cap. 24. Lutherus, Chemnitius, aliíque hæretici.

Deinceps ſublatâ arbitrii indifferentiâ ad utrumlibet (quod nominatim facit Tom. 3. de Grat. Salvat. lib. 7. cap. 10. med. his verbis: *Illa æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium periit*) hanc Propoſitionem, parùm ſuis de libertate principiis cohærentem docet,

6. *Solum primum hominis peccatum voluntate, id eſt, libera voluntate, ſeu nullo cogente perpetratum eſſe.* Mox interjectis 12. verſibus: *Fuit enim uti peccatum propriè dictum, ita etiam ſtrictiſſimè dicta voluntate; hoc eſt, ab ignorantia & cupiditatis COGENTIS viſco liberrima,*

liberrima, voluntarium. Tom. 2. de Statu natur. lapſ. lib. 4. cap. 21. col. 641. poſt med. & in fine. Ex quibus deinde colligit, cæterorum hominum peccata, ſive actualia, ſive originalia peccata ſint, ideo eſſe voluntaria; *Quia ex origine illius liberrimæ proprieque dictæ voluntatis* (primi hominis) *nata*. Ibid. col. 642. poſt med.

Hujus autem maleſani dogmatis rationem hanc reddere videtur: *Captivitas* (humani arbitrii) *in eo ſita eſt, quòd voluntas concupiſcentiæ terrenæ viſco intimè penetrata ſemper & in omni actu motibus eius feratur ac referatur, imperio eius ac ponderi indeſinenter ſerviens: eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omninò motibus ſervit divinæ charitati.* Tom. 3. de Grat. Salvatoris lib. 1. cap. 4. poſt initium.

Huic Janſenii Doctrinæ conſimilem omninò tradit LUTHERUS toto libro de Servo arbitrio: & in Geneſ. cap. 3. Itemque CALVINUS lib. 1. Inſtit. cap. 15. §. 8. & de liber. arbitr. lib. 2. contra

contra Pighium, alibíque.

Addit præterea Janſenius, Deum verè ac propriè impoſſibilia imperare, atque ob ea non ſervata, pœnas exigere. Vide ſuprà 1. Propoſit. damnat.

7. *Ignorantia etiam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt invincibilis, non caret peccato: ut dogma fidei ab antiquis traditum eſt. Solemne quippe Pelagianorum dogma fuit: oblivionem & ignorantiam non ſubiacere peccato.* Tom. 2. de Statu natur. lapſæ, lib. 2. in tit. & textu cap. 2. colum. 287.

Id ipſum etiam tradit fusè Lutherus in Geneſ. cap. 12. Et Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 2. §. 25.

DISTINCTIO SECUNDA.

De Operibus Infidelium.

8. Propoſitio Janſenii: *Omnia opera infidelium ſunt peccata; & Philoſophorum virtutes, ſunt vitia.* Tom. 2. de Statu naturæ lapſ. lib. 4. cap. 27. col. 672. med. ubi Propoſitionis iſtius partes confirmans: *Utramque partem,* ait, *tam conſtanter & luculentè tot modis*

dis Auguſtinus tradidit, ut ſi ulla eſt doctrina in univerſis lucubrationibus eius manifeſta, & minùs obnoxia cavillationibus, illa emicet inter omnes.

Interim agnoſcit eſſe damnatam à duobus Pontificibus; (Propoſitione 25. inter damnatas in Michaële Baio) à quorum cenſuris ac fulminibus ſatis ſibi cautum, exemplo Calvini, exiſtimavit, uno Achillis hujus præſidio; nempe, *ſententiam eſſe D. Auguſtini.*

Qui tamen prorſus contrarium paſſim docet, ut facillimè demonſtrare poſſem minimùm undecim luculentis teſtimoniis.

Primùm, libro de Spirit. & littera ad Marcellin. cap. 27. extremo: *Impiorum*, inquit, (agens de infidelibus) *quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò rectéque laudamus.* Tum, ibid. cap. 28. ſparſim: *Sine bonis operibus difficillimè vita cuiuſlibet peſſimi hominis invenitur.* Deinde, Epiſt. 5. ad Marcellin. longè ante finem: *Rem-*

publicam

publicam primi Romanorum conſtituerunt, auxerúntque virtutibus, etſi non habentes veram pietatem erga DEVM verum, &c.

Tum, libro 5. de Civit. cap.12. agens de moribus antiquorum Romanorum: *Cùm illâ memoriâ*, inquit, *duo Romani eſſent virtute magni, Cæſar & Cato*, &c. Poſtremò, libro 6. Confeſſion. cap. 10. initio; miris laudibus extollit Alipii adhuc infidelis *mirabilem continentiam, & juſtitiæ integritatem*, graviſſimè tentatam *non ſolùm illecebrâ cupiditatis; ſed etiam ſtimulo timoris*, planè in virum conſtantem cadentis.

Plura ex D. Auguſtino teſtimonia in eandem rem proferrem, niſi ex allatis abundè conſtaret, qua cautione fides adhibenda ſit Janſenio, vel indubiam Auguſtini authoritatem plenis buccis concrepanti. Qua loquendi & agendi ratione Calvinus contra Pighium gloriatur: *Nos nihil quàm Auguſtinum ſequimur. Auguſtinus totus noſter eſt*, &c.

DISTINCTIO TERTIA.

De Amore concupiſcentiæ in DEUM, & Metu Gehennæ.

9. Propoſitio. *Concupiſcentia reſpectu Dei* (id eſt, amor quo Deum ut nobis bonum proſequimur) *amor vitioſus eſt*, ac proprii nominis peccatum. Tom. 3. de Gratia Chriſti lib. 5. cap. 9. col. 525. poſt med.

Eſt germana Lutheri doctrina, Aſſertione 6. contra Bullam Leonis Papæ: eſt etiam Calvini, præſertim in Antidoto Tridentini, ad ſeſſ. 6. canonem 25. & 31. Teſtaturque BERNARDUS A LUXEMBURGO in Catalogo Hæreticorum, BUGAURUM DE MONTE-FALCONE in Catalaunia damnatum fuiſſe ob hoc dogma erroneum. Certè conſonat damnatæ in Baio Propoſitioni 38.

Ac poſtremò, adverſatur Tridentini oraculo, ſeſſione 6. canon. 31. *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema ſit.*

10. De *inutilitate Metus Gehennæ*, duo

duo tradit Janſenius, quæ à communi Catholicorum ſenſu maximè abhorrent. Primùm enim (Tomo 3. pluribus locis) negat, metum gehennæ à charitate ſeparatum, aut bonum, aut utilem eſſe; ut per eum honeſtè vitari peccatum poſſit. Contra expreſſam Tridentini definitionem, ſeſſ. 6. de Juſtificat. canone 8. & alibi.

Deinde, negat ſufficientem eſſe diſpoſitionem ad Sacramentum Pœnitentiæ.. *Repugnat magnopere Auguſtino doctrina, qua docetur dolorem peccati propter gehennæ metum, ſeu attritionem .... eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad iuſtificationem cum Sacramento obtinendam.* Tom. 3. lib. 5. tit. cap. 33. col. 586.

Immò iſta Janſenii doctrina maximoperè repugnat Concilio Tridentino, ſeſſ. 14. cap. 4. circa med. ſic docenti: *Attritio, quæ vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur. .... Quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem*

tionem perducere peccatorem nequeat; tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. vide etiam ibid. canonem 5.

PARS POSTERIOR.

EFFUGIA NOVO-ANTIQUA, AD AUTHORITATEM S. AUGUSTINI, CONTRA PONTIFICIAS INTERDICTIONES ET CONDEMNATIONES.

§. I.

De primo Ianſenii Effugio.

Etſi Janſenius negare non poſſit Propoſitiones 79. Michaëlis Baii, interdicto mulctatas, & damnatas fuiſſe, primùm à Pio V. 1567. ac deinde à Gregorio XIII. Anno 1579. pleraſque tamen illarum, datâ operâ defendendas, & contra Pontificum decreta velut in integrum reſtituendas (ſcilicet obediens Eccleſiæ filius) ſuſcipere non dubitavit: idque vel iiſdem planè verbis, vel certè omninò æquivalentibus; ut præſertim videre licet Tom. 2. de. Stat. nat. lapſ. lib. 4. cap. 25. 26. 27. Item lib. 3. de Statu Puræ natúr. cap. 22.

Porrò quatuor effugia obtendit Bullæ Apoſtolicæ. Primum: multas, è Pro-

poſitionibus Baianis ibi damnatis, eſſe à S. Auguſtino traditas. Verùm cùm ipſemet Baius in Apologia M. S. idem obtendiſſet primæ condemnationi; attamen duodecim poſt annos, eadem ab arce Romanâ, iteratæ condemnationis fulmen excepit.

Idipſum hodieque nonnulli Janſeniani prætexunt adverſus nuperam Conſtitutionem S. D. N. D. Innocentii Papæ X. ſed benè habet, fidem nullám ampliùs obtinent apud cordatos Eccleſiæ Catholicæ filios; quibus cùm ex teſtimoniis ſuprà citatis perſpecta eſt mens D. Auguſtini; tum etiam omni exceptione major Romani Pontificis è Cathedra loquentis authoritas fallendi neſcia. A qua vel ipſe Auguſtinus, Epiſtola 90. & 92. ſuo, aliorumque (duobus in Conciliis) Epiſcoporum nomine, certiſſima oracula, contra Pelagii & Cæleſtii errores, meritò accerſivit. Cùm verò ejuſmodi Pontificum oraculis careret, ſcribit de ſe ipſe, libro 4. de Trinitate, in Proœmio; cor ſuum (utpote humanum) [illegible] figmenta

ſigmenta multa parere. Cujuſmodi ſunt :

1. *Angelos eſſe corporeos*, libro 2. de Trinit. cap. 7. Et lib. 3. cap. 1. Item in Pſalm. 85. & 145. Epiſt. 115. Libro 3. de Geneſi ad litter. cap. 10. & alibi.

2. *Nefas eſſe Chriſtianis occidere infideles, mortem intentantes.* Epiſt. 154. ad Publicolam, alibíque.

3. Addi poſſet illud (ex lib. 1. de Peccator. meritis & remiſſ. cap. 20. circa med. Et multò clariùs, de Prædeſtinat. Sanctor. lib. 1. cap. 13. circa med.) *Infantes etiam baptizatos, niſi Euchariſtiam perciperent, ſalvos eſſe non poſſe.* Quod abſolutè Auguſtino tribuunt Maldonatus in cap. 6. Joannis; Cornelius à Lapide in eundem locum; Dionyſius Petavius, de Concil. Trid. Joannes Adam, in Calvin. deſtruct. & alii Theologiæ polemicæ conſultiſſimi. Verùm, quia plurimi è Scholaſticis Theologis illud explicant de quapiam metaphorica Euchariſtiæ perceptione; proinde non magnopere pugnabo, ut ejuſmodi errorem, in Tridentino damna-

tum, tanto Doctori adſcribam.

4. *Alteram terræ partem huic noſtræ oppoſitam, nullis Antipodibus habitatam eſſe*: quòd aqua terram priùs omnem operiens, illuc jam coacta ſit & congregata. libro 16. de Civitate Dei cap. 9.

Et alia non pauca iſtius generis figmenta, quæ nemo jam Orthodoxus docere ampliùs auſit.

Neque verò tolerandum eſt dogma illud, omninò in fide Orthodoxa perniciofum, (quo anteà Wiccleffus, ac deinde Lutherus abuſi traxerunt moras gliſcenti veneno) denegans ſummo in terris Chriſti Vicario infallibilem authoritatem, extra Concilium Generale. Enimverò manifeſtum eſt, reſponſiones Summorum Pontificum, extra Concilia Generalia, ſemper receptas ab Eccleſia fuiſſe, immò quorundam etiam Conciliorum repudiationes à ſolo Romano Pontifice factas. Qua de re eruditè admodum ſcripſit Joannes de Turrecremata, *ſummæ de Eccleſia* lib. 2. cap. 107. 108. Item lib. 3. cap. 18.

ad

ad 4. objectiọn. Et cap. 28. 44. 62. & alibi.

Nimirum non Concilijs; ſed ipſi Petro, ejusque deinceps Succeſſoribus denuntiavit Chriſtus Dominus, Luc. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et Joannis 21. *Paſce Oves meas.* Itemque Matthæi 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

§. II.

De aliis Janſenii Effugiis.

Jam liquidò conſtat alia tria Janſenii Effugia, excuſandis ab Interdicto Pontificio Baianis Propoſitionibus, vana & falſa eſſe. Siquidem vel præcipui Janſenianæ factionis Patroni, Galli perinde ac Belgæ, admittunt tandem ut legitimam Urbani Papæ VIII. Bullam contra Janſenii Auguſtinum: cujus Bullæ initium eſt; *In eminenti Eccleſiæ militantis ſede*, &c.

Enimverò, poſtquam S. D. N. Innocentius Papa X. datis ad varios Epiſcopos litteris, ab Anno 1645. ac deinceps,

dictæ Bullæ obſervationem ſedulò injunxit, cenſuras Eccleſiaſticas ſæpiùs intentans tergiverſantibus; demum boni illi malæ cauſſæ Patroni territi hoc fulmine (quod unum ſe formidare ab arce Romana fatebatur olim Janſenius, in arcanis ad Amicos litteris, nuperrimè editis) manus veritati dedêre.

Porrò in commemorata Bulla Urbanus Pontifex rationem reddens, cur prohibeat Janſenii Pſeudo-Auguſtinum, aſſerit: *Compertum eſſe, quòd liber ille contineret Propoſitiones damnatas*; in Baio nimirum: contra quod pugnat acerrimè Janſenius, volens non ipſas Baii Propoſitiones; ſed cenſuras tantùm immodicas fuiſſe à Pontificibus damnatas. vide Tom. 2. de Statu naturæ lapſæ lib. 4. cap. 28. col. *666*.

Ejuſmodi autem damnatas Propoſitiones, quas ex profeſſo defendendas ſuſcipit Janſenius, quidam minimùm triginta, Baianis parallelas recenſuerunt. Ego non niſi pauculas Decade ſuperiori complexus ſum, propriis primi aſſertoris verbis, ſenſúque cõſtantes.

§. III. *Au-*

§. III.

Auguſtinianæ authoritatis Criſis optima, ex ipſomet Auguſtino Hipponenſi.

Ut ſuis Calvinus hæreſibus, ita Janſenius damnatis Baii Propoſitionibus, aliiſque ſive ineptiis, ſeu erroribus ſuis unam uterque D. Auguſtini authoritatem immeritò prætexere conſuevit.

Attamen promptum eſſet, adductis ex ordine teſtimoniis (ut anteà fecimus) demonſtrare Sanctum hunc Doctorem, alia omnia, Janſenii opinionibus planè contraria docuiſſe. Sin autem alicubi locutus fortaſſis obſcuriùs videatur; (nimirum Controverſiis necdum Pontificia authoritate diremptis) quid eum nunc fuiſſe facturum exiſtimare debemus, perſpectâ in alteram partem Eccleſiæ ſententiâ; quem miramur quædam retractare non dubitaſſe, quæ Catholici Doctores etiamnum docere minimè vereantur.

Neque verò ipſe Auguſtinus aut tam arroganter de ſe, aut tam projectè de ſummo Eccleſiæ in terris capite ſenſit aliquando: ut ſuam (hominis utique privati) authoritatem, cum indubitatis ſummorum Pontificum ſanctionibus conferri, nedum præferri fas eſſe judicarit; quod poſtremum pugnat, in ejus gratiam, Janſenius Tom. 2. de Stat. Nat. lapſæ lib. 4. præſertim cap. 26. & 27.

Certè quidem libro de Bono perſeverantiæ, poſt laudatos Sanctos Patres, ſic de ſe ipſe ſcribit: *Neminem velim ſic complecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, de quibus Opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec meipſum in omnibus ſecutum eſſe demonſtrem, ſed proficienter me exiſtimo, DEO miſerante, ſcripſiſſe, non tamen à perfectione cœpiſſe: quandoquidem arrogantiùs loquor quàm veriùs, ſi vel nunc dico me ad perfectionem, ſine ullo errore ſcribendi iam in iſta ætate veniſſe.*

Non diſſimilis modeſtiæ argumen-

tum

tum etiam illud eſt, ex libro 4. de Trinitate in Procemio, circa medium: *Ego certè ſentio quàm multa figmenta pariat cor humanum. Et quid eſt cor meum, niſi cor humanum?* Id eſt, figmentis, pro more aliorum, pariendis ſimiliter obnoxium.

Item lib. 3. de Trinit. in Procemio, ante med. *In omnibus litteris* (id eſt, ſcriptis, Phraſi Auguſtino uſitata) *meis non ſolùm pium Lectorem; ſed etiam liberum correctorem deſiderem.*

Si eam cenſuræ libertatem circa ſcripta ſua permittebat liberaliter Auguſtinus cuilibet Catholico; voluítne (an etiam potuit?) eandem negare ſummo Chriſti Vicario, quem unum Eccleſia arbitrum Controverſiarum omnium veneratur?

Eſt igitur & authoritati & deſiderio D. Auguſtini conſentaneum, ut qui ubique ſunt Catholici Sanctiſſimum D.N.D. INNOCENTIUM Papam X. audiant, è Cathedra Romana diſertè pronuntiantem; de poſſibilitate mandatorum Dei, de Gratiæ efficacitate, de

de Arbitrii libertate, de Mortis Chriſti Univerſitate, aliisque, eſſe aliter ſentiendum, quàm intelligatur à quibuſdam privatis hominibus, præoccupati errore judicii nimium tenacibus, ſcripſiſſe alicubi D. Auguſtinus.

§. IV.

Auguſtinus non eſt irrefragabilis authoritatis.

Si & ſcripta & facta D. Auguſtini expendamus, falſum eſſe elogium comperiemus, quod Janſenius ei tribuit, Tom. 2. de Ratione & Auctorit. libro Procœmiali cap.14. ubi, *Auguſtini doctrina*, inquit, *eſt irrefragabilis auctoritatis*: Et quidem è ſcriptis Sanctiſſimi hujus Doctoris ſpecimen aliquod ejus modeſtiæ, tale elogium meritò refugientis dedimus §. ſuperiore. Unum hîc addo, quod ſibi dictum putet Janſenius, ab Auguſtino, lib.3. de Trinit. in Procemio, circa med. *Noli litteris meis quaſi Scripturis canonicis inſervire*, &c. Hæc nimirum (& Pontificum ſanctiones) non

illæ

illæ ſunt *irrefragabilis auctoritatis.*

Neque verbis quàm factis modeſtior Auguſtinus, tantùm ſuæ mediocritati ſemper diffiſus fuit, quantùm Pontificiæ authoritatis infallibilitati confiſus.

Peti poſſunt luculenta iſtius teſtimonia, primum quidem ex Epiſtola 90. quâ Patres Concilii Carthaginenſis, ab INNOCENTIO Papa I. petunt, (ſcribente Auguſtino) ut quæ ipſi contra Pelagium & Cæleſtium, de Materia Gratiæ ſtatuerant *pro ſua mediocritate*, ſummus fidelium Paſtor Innocentius *etiam Apoſtolicæ Sedis adhibita authoritate confirmet.*

Alterum verò petatur ex ejuſdem Epiſt. 92. ubi Auguſtinus, & cæteri Epiſcopi, in Milevitano Concilio congregati, item ab Innocentio I. Pontifice Romano cenſuram & definitionem expetunt circa adjutorium gratiæ, contra interpretationes Pelagii & Cæleſtii.

Et verò omnis authoritas quæ tribuitur D. Auguſtino (eadem eſt ratio aliorum SS. Patrum) etiam in materia Gratiæ, à ſola manat approbatione Roma-

norum

norum Pontificum: iſta autem approbatio (quantùm ad propoſitum noſtrum pertinet) quemadmodum ſit præfinita, breviter indicandum.

§. V.

An, & quatenus Doctrinam S. Auguſtini, De Gratia Dei, *Eccleſia Catholica approbarit.*

Doctrinam S. Auguſtini commendans Janſenius, affectui plus æquò indulget. Nam quæ encomia Auguſtinianæ doctrinæ conveniunt, quatenus à ſummis Pontificibus approbata fuit, eadem extendit (parum æqua ratiocinandi methodo) ad doctrinam ejuſdem univerſam, *De Gratia*; numquam universè approbatam Pontificia authoritate. Juvat malam hypercritici Doctoris ratiocinationem bono in lumine ſemel collocare. Igitur Tom. 2. de Ratione & auctoritate, libro Procemiali cap. 15. col. 35. med. ſic habet: *Cæleſtinus*

nus Pontifex Univerſa S. Auguſtini ſcripta, de Gratia Dei, magnificentiſſimo laudavit encomio, graviſſimáque authoritate comprobavit. Hoc falſum eſſe mox patebit.

Suum verò iſtud dictum confirmaturus citat ſequentia verba, ex Epiſtolâ Cæleſtini Papæ, ad Epiſcopos Galliæ: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua, atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec umquam hunc ſiniſtræ ſaltem ſuſpicionis rumor aſperſit: quem tantâ ſcientiâ olim fuiſſe ſemper meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam à noſtris deceſſoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in communi ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.*

En totum Cæleſtini de Auguſtino encomium. In quo nulla ſanè continetur approbatio ſcriptorum Auguſtini *De Gratia*, vel unius tantùm partis, nedum univerſorum.

Si ex eò probatur authoritate Pontificiâ omnis doctrina Auguſtini, quòd

ipſe

ipſe *inter magiſtros optimos* ſuæ ætatis *haberetur*: cur Janſenius reſtringit univerſitatem approbationis ad materiam de Gratia? In qua ſi valet illatio, neceſsè eſt & valeat in omni materia quam docuit Auguſtinus. Adeoque Eccleſia approbarit aliquando, quod Tridentinum ſub anathemate interdicit; de neceſſitate ſcilicet communionis Parvulorum: approbarit etiam Angelos & animas eſſe corporales, & alia, quæ nemo Catholicus docere hodie poſſit.

Fateor tamen (quidquid ex elumbi iſta probatione conficiatur) receptam ab Eccleſia Auguſtini doctrinam, in iis articulis *De Gratia*, quibus Pelagianorum errores confutavit: neque aliud quàm Apoſtolicæ veritatis oracula (à nemine citra hæreſim rejicienda) tunc eum proferre, cùm probat; Gratiæ neceſſitatem ad initium, meritum, impetrationem, diſpoſitionem, præparationem, & cauſſam juſtificationis, ejusquè perſeverantiam: item cùm docet eandem non prævenientem tantùm eſſe;

ſed

ſed cooperantem etiam, & concomitantem. Hanc; inquam, & non aliam Auguſtini doctrinam *Graviſſima authoritate ſua comprobavit Cæleſtinus Pontifex.*

Ita enim ſcribit ad Epiſcopos Galliæ, extrema parte Epiſtolæ: ***His ergo Eccleſiaſticis regulis conformati ſumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur authorem, & non dubitemus ab ipſius gratia, hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur***, &c.

De aliis verò ſententiis Auguſtini, aliorumque Catholicorum Doctorum (*quas utique ſuas*, minimè approbando, non *fecerunt Apoſtolici Antiſtites*) ſic ad extremum ſcribit idem Cæleſtinus Papa: ***Profundiores verò difficilioréſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractaverunt, qui hæreticis***

 reſtiterunt,

reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere: quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas, Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium. vide Tom. 1. Conciliorum Galliæ, ad Annum Chriſti 431. Et ibidem Concilium Arauſicanum ſecundum, eadem repetens, Anno Chriſti 529.

§. VI.

Concluſio, & finis Controverſiarum cum Ianſenio.

Laudatam modò Cæleſtini Papæ Epiſtolam, divinâ prorſus ſapientiâ refertam, ſi expendiſſet Cornelius Janſenius; numquam profectò Pelagianæ hæreſis inſimulaſſet Catholicos Doctores, defenſores *Gratiæ Dei*, Eccleſiæ univerſæ, Pontificiarumque ſanctionum laudatiſſimos.

Si

Si autem idem ipſe, ex pertinaci, ut memorat, lectione operum S. Auguſtini, hujus Doctoris modeſtam adverſus Chriſti Vicarios, Pontifices Romanos, venerationem memoriæ commendaſſet: profectò, neque in ipſum Doctores Catholici tot querimonias hactenus jactaſſent; &, qui ubique ſunt orthodoxi, tot diſſidiorum, offenſionumque fluctibus jactatam Chriſti Eccleſiam non quererentur.

Ut aliquando tandem, pace Orbi Chriſtiano reddita, finem ejuſmodi controverſiarum videamus, audiat modò Janſenius, aut potiùs ejus ſectatores, (ſi qui tamen adhuc, poſt Apoſtolica Sanctiſſimi D. N. D. INNOCENTII Papæ X. oracula, hodie ſupereſſe poſſunt) qui ſe venditare ſolent *Diſcipulos S. Auguſtini*; audiant, inquam, quid Sanctus hic Pater ad Honoratum Manichæum ſcribat, de Utilitate credendi cap. 8. *Si iam ſatis tibi iactatus videris, finémque huiuſmodi laboribus vis imponere, ſequere viam Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto, per Apo-*

 ſtolos,

ſtolos, ad nos uſque manavit, & abhinc ad Poſteros manatura eſt; numquam interruptâ legitimorum in Petri Cathedra ſucceſſorum ſerie: quorum cenſuræ hanc ſcriptiunculam, qua poſſum demiſſiſſima veneratione ſubjicio.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE